EX
LIBRIS
Dr HEINRICH
CHRISTENSEN

П.Б.4/132
УНИВ. БИБЛИОТЕКА
DE И. Бр. 1315

ITINERARIO ALEXANDRI MAGNI.

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV. M. AUG. A. MDCCCLXI.

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS KLUGE
SILESIUS.

УНИВЕРЗИТЕТСКА БИБЛИОТЕКА БЕОГРАД

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

E. NAUKE, SEM. PHIL. SOD.
S. PAWLICKI, SEM. PHIL. SOD.
A. SUCKOW, PHIL. CAND.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAROLO FICKERT

PHILOSOPHIAE DOCTORI,
GYMNASII ELISABETANI RECTORI ET PROFESSORI REGIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ET

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Ante hos fere quadraginta tres annos Mediolani duo libri editi sunt ab Angelo Maio, Ambrosiani tum Collegii Doctore, quorum uterque lingua latina scriptus de Alexandro Magno, Macedonum rege, est, alter inscriptus „Itinerarium Alexandri ad Constantium Augustum Constantini M. filium," alter „Iulii Valerii Res gestae Alexandri Macedonis translatae ex Aesopo Graeco." Utrumque invenit vir doctissimus bibliothecae Ambrosianae in codice aliquo latentem, exarato, ut illi videtur, circa saeculum Christi nonum. [1]) Quem quidem codicem fuisse transmissum e Gallia in Italiam videmus ex iis, quae qui Ambrosianae bibliothecae primus praeerat, in eo notavit „hunc codicem Avenione vehendum curavimus." [2]) Sed ut pervetustus esse traditur, ita multis est inquinatus et foedis vitiis librarii sive negligentia sive inscitia factis, ut haud paucis locis paene desperandum sit de verbis scriptoris genuinis restituendis. [3]) Quod quanto minus in Julii Valerii libro molestiae habet, quippe quem non semel habeamus in aliis codicibus repetitum, [4]) tanto magis in Itinerario emendatori obstat, quoniam in illo uno libro ms. superest. Praeterea vero Maius editor „ita aut dixit aut tacuit de verborum scriptura, ut frequens sit dubitandi necessitas." [5]) Huc accedit, quod mutilus codex est et a fronte et a calce, unde fit, ut Iulii Valerii opusculum careat initio, Itinerarium fine; et ne continuatio quidem narrationis Valerianae integra exhibetur, quum libri II. sedecim paginae desiderentur. [6]) Suppletae sane postea sunt quae exstant in Iul. Val. lacunae, quum ab ipso Maio [7]) tum a Carolo Muellero, [8])

[1]) cf. Mai. praef. ad Itin., p. XI.
[2]) cf. eiusd. praef. ad Iul. Val., p. 105, not. 1.
[3]) Murator. Antiqu. Ital., p. 957: „Vetustissimus, inquit, erat simulque pervetustis Characteribus exaratus ille codex, sed a librario tam foede identidem corruptus, ut quis sensus verbis inesset, saepe assequi vel meditando nequirem." cf. Mai. ad Itin. cap. 87, not. 3.
[4]) cf. St. Croix. Exam. crit., p. 166, not. 1.
[5]) Ita ait Haase, Pr. Ill. Misc. Phil. lib. II., cap. 6, p. 20.
[6]) cf. Mai. ed., p. 206 sq.
[7]) vid. Class. Auct. tom. VII., p. 61 sq. et Spicil. Rom. VIII., p. 513.
[8]) e cod. reg. Paris. cf. Ps. Call. introd., p. IX., not. 11.

neque tamen Itinerarii quae desunt a quoquam investigari potuerunt. Miserrime igitur afflictum videmus illum libellum, de quo scribere mihi proposui, quam rem eo gravius ferimus, quod neminī omnino veterum quidquam memoriae prodere placuit, unde aliquid certi constaret. Quare editiones non multum profecerunt. Prodierunt vero in lucem tres praeter principem illam editionem a Maio paratam, quarum una est mera huius iteratio, uno post anno Francofurti ad Moenum in Libraria Hermanniana 1818 emissa, altera Maii ipsius nova editio Classicorum Auctorum tomo VII. inserta, paulo aut nihilo emendatior, supplementis tamen Valerii iam memoratis instructa, tertia denique appendicis instar adiecta „Scriptoribus de rebus Alexandri" editis a Car. Muell. Parisiis 1846, perpaucis tantum locis diversa a superioribus. Francofurtiana autem illa videtur per Germaniam maxime divulgata esse, quum ipsa Maiana rarius reperiatur. In nostris saltem bibliothecis vel universitatis Regiae vel studiosorum eam non esse doleo, non quod aliquo modo textus verborum in ea differat a Francof., sed quod ei addita esse dicitur charta in qua litterarum forma, qualis est in codice, accurate depicta sit. Quam chartam si videre licuisset, sane facilius e ratione singula verba scribendi, conjungendi, truncandi conclusio fieri potuisset, quem in modum litterae vocabulaque immutarentur et depravarentur, unde praecipue auxilium petendum esset ad menda sananda. Nunc autem hoc subsidio destitutus iis tantum uti potui, quae Maius hic illic in adnotationibus textui subiectis de ea re exposuit.

Omnes igitur editiones et quod textus conditionem et quod interpretationem attinet, ita inter se eongruunt, ut nihil novi quod mentione dignum sit, ad illa accessisse contendere possimus, quae Maius in prima editione statuerat. Id vero maxime mirandum est in Maii editione altera i. e. Romana, quoniam eodem anno, quo Mediolanensis vulgata erat, Letronnius, V. D., natione Francogallus in „Journal des Savants" 1818, p. 401 sqq., nonnulla attulerat, quae novam editionem paraturo aliquid emolumenti suppeditarent. Maius ea omnia licet magna ex parte probanda plane neglexit, ut non iniuria inde colligi posset, eum de Letronnii commentatione nihil unquam cognovisse, nisi ex praefatione Maii ad ed. Rom., p. V., errorem, quem in edit. Mediol. commiserat statuens se primum Itinerarium edere, ex Letronnii admonitione correctum videremus. Is enim vir doctus iam diu ante Maium tertiam fere Itinerarii partem a Muratorio in „Antiquitatibus Italicis," tom. III., p. 957, C. sqq., typis impressam atque editam fuisse recte docuit. [9]) Quare Maius

[9]) Falsus tamen Letronnius in eo mihi esse videtur quod Muratorium ex codice quodam ab illo, quo Maius usus sit, diverso fragmentum suum sumsisse cum nescio quo auctore dissertationis, quae est in „la Bibliothèque universelle" (mars 1818) arbitratur. Scribit enim haec: „En collationnant l'édition de ce savant (i. e. Maii) avec la portion imprimée par Muratori

Letronnii sriptionem non plane ignorasse videri potest, quamquam omnis ea de re dubitatio nequit tolli, quippe quum eius nomen silentio suppresserit. Aliter egit Car. Mueller, qui quidquid novi Letronnius invenerat ad Itinerarii sermonem mendis purgandum nullo loco praetermisit. De suo tamen nihil fere adiecit, ut ei iniuriam inferre non videatur, si quis inde a Letronnii temporibus neglectum prorsus opusculum illud de Alexandro M. iacuisse dicat usque ad hos novissimos annos, quibus Prof. Ill. Haasius commentatione sua (Misc. Phil. Lib. II., cap. 6) philologiae studiosos incitavit, ut operam huic libello non immeritam darent. Quamobrem ego quoque ad eius studium accessi, et si quid possem explorare, quod aliquam lucem satis crassis tenebris toti materiae offusis afferret, tentavi, quamquam nunc hac de spe propemodum deiectus tot et tantis difficultatibus

nous avons trouvé de si grandes différences, qu'il est évident que ce dernier a eu sous les yeux un autre manuscrit qui aura échappé aux recherches du laborrieux éditeur." Quae verba V. D. certe non fuit scripturus, si quod Muratorius ipse fragmento in antecedentis dissertationis fine praemiserat, legisset: „diffiteri nolo me dum iuvenis haec describerem locis nonnullis ex ingenio meo, ut aliquis esset sensus verba commodasse, aliaque a me fuisse emendata" et quae seqq. Ex his aperte discrepantiam scripturae illam, quae offendit Letronnium, non esse codicis patet sed eius qui codicem exscripsit, id quod etiam facilius intelliges, quum verba ipsa fragmenti cum Maii editione comparaveris. Quamvis enim longe maxima aut corruptorum aut obscurorum locorum pars temere sit mutata novaque facie induta, occurrunt tamen haud pauca vitia, quae eadem sunt apud Maium; velut cap. 4 functus pro functis; cap. 6: corporis liber, pro corporis officio liber ex Haasii emendatione; cap. 8: poenes sive paenes pro penes; cap. 9: eodem atque inde, pro indidem cf. Haas. l. l.; cap. 14: contemtui pro contemplatui cf. Haas. l. l.; cap 16: Philippis urbe Philippaea pro urbe Philippaeae ex Maii commend.; ibid.: Dahas pro Dacas. cap. 18: (in Strymone) incoris pro in ancoris; ibid.: Diis Heroibus qui pro D. Heroibusque cap. 19: Mur. quod is Granicus a Dacis. cod.: (cf. Mai. p. 31, not. 1) quod is Granicusa daeis. cap. 21: tela-fundere. cap. 24: pactus est (cf. infra.) cap. 29: vitalibus - ebriatis (cf. Haas. l. l.) Quod autem constanter heic apud Murat. legimus pro hic, renuere pro rennuere, porrigi pro porgi, interdum quicunque pro quisque, et quod particulam autem passim inculcatam invenimus, qua prorsus caret Itinerarium a Maio editum, id Muratorio ipsi, non codici tribuendum videtur. Eundem denique apud utrumque editorem habemus, ut apparet, exitum mancum. Etenim Murat.: „Ne ipse quidem, inquit, libellus multum procedebat in gestis illius (i. e. Alexandri) enarrandis, et potissima forsitan paginarum pars in codice desiderabatur," si quidem fabulosa illa narratiuncula de Alexandro ad Herculis columnas proficiscente potissima pars dici potest. Progressus vero est Muratorius in libello exscribendo non ultra cap. 32 (ed. Francof.) quod, ut ipse fatetur, „fortasse nihil sibi tunc visus sit complecti, quod iam a Curtio, Arriano aliisque scriptoribus et quidem fusius in Vita Alexandri Magni litteris consignatum non haberemus," aut, ut equidem suspicor, quod verba capitis 33 corruptiora ducebat, quam quae emendari sive circumscribi possent. Ceterum consului illud fragmentum, quoad eius fieri poterat, emidationesque Muratorii, quae probabiles videbantur, ut commemorarentur, dignas habui.

superandis non esse parem me video confiteorque. Quo magis benevolentiam et indulgentiam lectorum mihi non defuturam spero quum nihilominus quamvis timidus reluctansque quae pro viribus laboravi in medium proferam.

Iam, ut ad ipsam rem aggrediar, in duas potissimum partes quaestio de Itinerario tota apte dividi visa mihi est, quarum altera exponerem, e quibus imprimis fontibus haustum esse videretur, altera vero sententiam meam de latinitate profiterer, ita quidem, ut Iulii Valerii genus scribendi simul respicerem.

Pars prior.

I.

Quos Itinerarii Auctor secutus sit scriptores, ex ipsius verbis minime potest cerni, quum nullius nomen diserte pronuntiaverit. Pluribus tamen iisque ut videtur veracibus usum esse patet ex iis — si quidem fidem asserere licetquae ipse scribit cap. 2: „Nec de loquacium numero vilibus usus auctoribus, sed quos fidei amicissimos vetus censura pronuntiat, quosque istic qua potui tibi circumcisa satis curiositate collegi“ et cap. 50: „Denique duos corvos draconesve praevios ivisse aiunt inimici fabularum.“ Atque accuratius hanc in rem inquirentes praeter ceteros potissimum cum Arriano Graecorum de Alexandri historia sine controversia optime merito permagnum consensum in Itinerario deprehendimus. Arriani vero vestigia ne quis me primum indagasse putet, ablego lectorem ad Maii editoris doctissimi praef. p. XIV., in qua nonnulla huc pertinentia reperiet exposita. Sed quia nondum per totum libellum accurate comparatae cum illo scriptore atque diligenter explicatae sunt sive similitudines sive diversitates, is labor subeundus eo magis visus mihi est, quod etiamnunc, utrum Auctor ex Arriano ipso, an, quibus is usus sit, e Ptolemaei et Aristobuli libris suam consarcinaverit historiam, nullo modo constat. Etenim Ph. H. Kuelbius. qui Encyclopaediam ab Ersch. et Grub. editam brevi commentatiuncula auxit, haec facit verba:

> „Das Itinerarium enthält zwar nichts Neues und stimmt grösstentheils mit der Erzählung Arrian's überein, ist aber dennoch bei dem Mangel an Quellen über die Feldzüge Alexanders nicht zu verwerfen, da sie den Stempel der Wahrhaftigkeit auf jeder Seite an sich trägt und keinenfalls aus Arrian abgeschrieben, sondern wahrscheinlich nach denselben älteren Geschichtswerken, welche dieser benutzte, zusammengesetzt ist.“

Recte haec dicta esse videri possint, quamvis sint revera falsissima, si statim prima Itinerarii capita inde a cap. XII. cum Arrianeae historiae initio composueris. Sunt enim satis pauca in

iis, quae ex illius Scriptoris opere Auctor mutuari potuerit, ut fere illa opineris ab Arriano silentio praetermissa recta via profluxisse ex antiquiore fonte eodem, ex quo alioquin Arrianum hausisse ipsius testimonio cognitum habemus, Ptolemaei videlicet et Aristobuli libris. Ita capitis 12 praeter ea, quae Arrianus I, 1, 1. 2. retulit, quibus respondent verba „imperio Macedoniae . . . Lacedaemoniis renuentibus“ priorem partem desideras apud Arrianum, qui nihil fere commemoravit de Alexandri genere[10]), nihil de Philippo a Pausania occiso, nihil de Pausania eiusque consciis morte multatis (cf. I, 25, 1), immo paucis Philippi mortui mentione facta eo temporis momento Alexandri historiam incipit, quo ille regno accepto in Peloponnesum profectus est. Ista igitur si cui a Ptolemaeo sive Aristobulo narrata fuisse videantur, non exstat quidem certum testimonium, quo contrarium doceatur, Arrianum vero talia sine idonea causa omisisse non est consentaneum. Indidem potius petita fuerint, unde Diod. I, 1. ex. sumsit haec: „*Ἀλέξανδρος οὖν γεγονὼς κατὰ πατέρα μὲν ἀφ' Ἡρακλέους, κατὰ δὲ μητέρα τῶν Αἰακιδῶν* (cf. Iustin. XI, 4, 5). Quod utut est, habemus tamen unde derivemus, id quod secus fit in verbis „Pausania caeso cum tribus filiis.“ Nihil enim unquam ab ullo scriptore de tribus Pausaniae filiis traditum est, qui ipse apud Iustin. IX, 6, 4 „nobilis ex Macedonibus adolescens“ nominatur, ut vix dubitandum sit, quin locus sit depravatus genuinumque in statum sic restituendus: „Pausania caeso cum tribus aliis.“ Nam complures fuisse, qui ad Philippum trucidandum coniuraverant, elucet et ex Diodori verbis (XVII, 2 *τοὺς φονεῖς τοῦ πατρὸς . . . τιμωρίας ἠξίωσι*) et Iustini (XI, 2, 1: caedis conscios ad tumulum patris occidi iussit) et Curtii VII, 1. in. Caedi vero iussi sunt ab Alexandro Heromenes et Arrhabaeus, fratres Alexandri, filii Aeropi, quos necis adiutores fuisse testatur Arrian. I, 25, 1, ac praeter eos, ut videtur, etiam Amyntas Perdiccae filius; vid. Polyaen. VIII, 60. Droysen. Gesch. Alex. des Gross. p. 55. Mirum etiam est, quod Itin. Auct. ait „praesidentem Aegensi theatro Philippum interemtum esse,“ quum a Diodor. XVI, 44 et Cornel. Nepot. d. reg. 2 et Iustin. IX, 6 necatum esse doceamur iuxta theatrum, quum ludos spectatum iret, non dum in ipso theatro esset. Ut infra (p. 49.) videbimus, locus ab Aristob. et Ptolem. alienissimus est, utpote depromptus ex Pseudo-Callisthenis historia I, 24 (cf. Iul. Val. I, 10).

Quae sequuntur capita 13. 14. 15 plane nihil continent, quod etiam Arrianus retulerit, nisi huc referas verba „Alexander . . . aetatis anno vicesimo ut se tanto apparatui idoneum faceret,“ quae consentiunt Arr. I. 1, 1. 3. Totius enim de Alexandri statura, forma, ingenio descriptionis ne verbum quidem Arrianus exhibet simile —

[10]) Sparsit nonnulla Arrian. de „Iove Hammone tali de sobole cum Philippo competente“ cf. III, 3, 2. IV, 9, 9. VII, 8, 3.

namque diversissima sunt, quae de Alex. moribus Arr. VII, 28 exposuit — quod certe factum non esset, si Aristob. aut Ptol. pariter atque Itinerarii Auctor rem tractasset. Videamus igitur quibus ex fontibus emanasse videantur cuiusque generis sint, quae in Itinerario exstant. Et primum quidem apud Plutarch. Alex. cap. 4. Alexandri forma corporis describitur, imagoque depingitur ad Lysippi statuam accommodata, cum Itinerario tamen minus congruens. Plutarchus enim quum loquatur de protento Alexandri cervice leniter in laevam flexo de gratoque quodam cutis odore atque humidis oculis, Itinerarii Auctor nihil nisi „visum Alexandri argutum“ memorat, quod eodem spectet. Conveniunt solum in eo, quod uterque regem „ποδώκην“ i. e. pernicem cursu“ „candidumque“ appellat, quamquam quod Plutarch. de rubescenti quodam candore addit (*ἡ δὲ λευκότης ἐφοίνισσεν αὐτοῦ περὶ τὸ στῆθος μάλιστα καὶ τὸ πρόσωπον*) Itin. auctor reticet. E contrario vero Plutarchus neque de naso neque de fronte sive capillo, ceteris quidquam protulit, de quibus prolixe Auctor agit. Nec apud alios ullos scriptores multo plura relata invenies, quae huc referri possint, praeter haecce: Apud Solin. c. 15 de Alexandro legimus: Forma supra hominem angustiore, cervice celsa, laetis oculis et illustribus, malis ad gratiam rubescentibus reliquis corporis, non sine maiestate quadam decoris.“ Quae quum Itinerarii verbis satis dissimilia sint, optime cum Itinerario conciliari possunt Appuleii Florid. c. VIII. verba: „Ut eadem forma viridis iuventae eadem gratia relicinae frontis cerneretur.“ Nam „forma viridis iuventae“ sic describitur in Itinerario „Crebrioribus quippe musculis tuberascens miris nervorum coetibus intendebatur.“ Relicina autem frons Auctori Itin. est „nuda,“ quae, ut lex. Forcell. (s. v. relicinus) repetam verba, reflexis in verticem capillis aperta apparet et capillorum tegumento libera. Unde Itin: „ex quo sc. equitando reclinam comam iacere sibi in contrarium fecerat.“ Et vero talem fuisse Alexandri frontem confirmatur imaginibus Alex. M. editis et illustratis a Viscont. in Iconogr. Gr. T. 2, tab. 2, p. 56—72 ed. Med. Quod vero in Itin. adiicitur de fronte: „pinguius fimbriata“ et quae sqq. neque quid significet satis liquet, neque ab alio scriptore idem commemoratur. Vox „fimbriata“ peculiari sane modo hic usurpata, apud Plinium de coma posita, videtur idem significare quod „rugosa“ vel „contracta.“

Quodsi in his, quae protuli, aliqua sunt, quae ad alius scriptoris testimonium fide dignum accommodari non possint (cf. praeterea St. Croix Exam. crit. p. 506), in medio relinquendum videtur, unde mutuatus sit Auctor, quae capitis 14 posteriore parte narravit, quum eadem similive ratione alibi talia tractata haud repereris. Neque tamen est, cur ea in suspicionem vocemus, quippe quae in universum Alexandri ingenio sint consentanea neque ab iis abhorreant, quae apud Arrian. Curt. Plut. alios passim de eadem re dicta obviam

sunt. Idem cadere censeo in cap. 15, modo illud unum excipias, quod de barba Alexandri narratur a veritate omni modo alienum, quoniam neque apud ceteros scriptores Alexander barbatus fuisse traditur et in imaginibus statuisque non nisi imberbis est effictus. Iam si Constantium, cui libellus dedicatus erat, barbam promisisse constaret, hanc ob causam Auctor etiam Alexandro aliquam attribuisse videri potuisset, ut Imperatori quodammodo placeret gratusque esset. At vero de Constantii habitu et cultu quae nobis sunt conservata apud Ammian. Marcellin. XXI, 16[11]), quo propius accedunt ad illa, quibus Itin. Auctor Alexandrum depingit, eo apertius demonstrant, falsum esse et corruptum, de quo agitur, locum. Quam obrem etiam Haasius Miscell. philol. II, 6, p. 23 suspicatus est eum errore illuc translatum esse ex aliquo de barba Alexandri dicto et edicto, quod Polyaenus IV, 3, 2 praebet. Qua tamen error ille abstergatur emendatio probabilis aliquo modo et speciosa non est in promptu. Misso igitur hoc loco nemo, puto, infitias ibit, totam descriptionem non esse cur in dubium trahamus, etiamsi non omnia aliorum testimoniis scriptorum comprobari queant. Ab altera vero parte, unde auctor eam petiverit, demonstrari non posse concedi debet, quum, tametsi hic illic nonnulla huc spectantia inveniamus dispersa, tamen nullus etiamnunc exstet liber, quo tota illa et integra contineatur.

Iam, ut illuc redeam, unde profectus sum, si quis mihi illa ducta esse posse obiiciat ex Ptolemaei sive Aristobuli libris, licet ab Arriano silentio praetermissa, illi non facile posse sic statui respondebo neque quum diligenter convideraverimus quod de utroque compertum habemus[12]) quodque ex eorum operibus superest[13]), neque quum cetera Itinerarii capita cum Arriani historia comparaverimus. Videntur quidem quae proxime sequuntur capita (16 usque ad 21) eandem illam sententiam auctoritate augere quippe quae haud pauca amplectantur, quae desunt apud Arrianum. Sed ea partim sunt eius generis, ut illorum scriptorum a veritatis studio plane abhorreant[14]), partim quae apud alios aliis auctoribus usos scriptores velut Diodorum, Iustinum, alios recurrant[15]). Neque vero

---

[11]) Ammiani, quae primus Mai. ed. Itin. p. 28 not. 2 attulit, verba sunt haec: „Equitandi et iaculandi maximeque perite dirigendi sagittas artiumque armaturae pedestris perquam scientissimus .... Figura tali situque membrorum: subniger, luce oculorum edita, cernensque acutum, molli capillo, rasis adsidue genis lucentibus ad decorem, ad usque pubem ab ipsis colli confiniis longior, brevissimis cruribus et incurvis: unde saltu valebat et cursu.“

[12]) cf. Geier. „d. Ptolem. vit. et comm. fragm.“ Hal. Sax. 1838. et Hullemann. „Ptol. Aristob. et Char. reliq.“ Traj. ad Rhen. 1844.

[13]) cf. Car. Muell. fragm. in ed. Arr. p. 86 sqq.

[14]) cf. infra.

[15]) cf. infra.

omnino absunt, quae Arriano respondeant, quamquam magis singulis verbis rebusve quam tota rerum consociatione constant. Capitis enim XII. verba „fundato protinus imperio .... Lacedaemoniis rennuentibus“ habes apud Arr. I, 1, 1. 2. (*„παραλαβόντα δὲ τὴν βασιλείαν ... πλὴν Λακεδαιμονίων“*) et cap. 16: „Thracas quoque ... Haemo continuus,“ apud Arr. I, 1, 5. (*ὁρμηθέντα δὴ ἐξ Ἀμφιπόλεως ... ἀφίκετο ἐπὶ τὸ ὄρος τὸν Αἷμον*“ cf. I, 3, 1.) et cap. 17 totum apud Arr. I, 11, 2. 3, nisi quod illic scribitur: *„αὐτὸς δὲ ἄγων πεζοὺς ... οὐ πολλῷ πλείους τῶν τρισμυρίων,“* hic autem „non plus X. milia peditum“ fuisse, si quidem recte locus ita se habet, quod dubitari potest, quum neque ceterorum historicorum quisquam eundem numerum tradiderit[16]), et altera „equitum“ summa optime cum Arriano, minus cum Diodoro (XVII, 17 *ἱππεῖς τετρακισχιλίους καὶ πεντακοσίους*) congruat. Utcunque vero est, reliqua eiusdem capitis vix dubitandum erit quin ex Arriano derivata sint. Deinde quis est, cui cap. 18 verba: „Igitur ipse per Abderam ... apud Ilium litant“ huc referenda non videantur inspicienti Arr. I, 11, 4—8, ubi eaedem res fusius quidem et copiosius exponuntur? Neque capp. 20 et 21 quae sunt de exercitu Alexandri Granicum fluvium transmittente, omnino aliena sunt ab illo, etsi ipsorum verborum rerumque singularum consensum concentumque inter Itin. et Arr. exstare aegre comprobaveris, nisi respicias quod cap. 20 „ripae abruptae“ vocantur, quas Arr. I, 13, 4 *κρημνώδεις ὄχθας* appellaverat et alia nonnulla, quae diserte hic citare parum attinet. Omnia tamen illa, quae modo attuli, sunt satis pauca et fere eiusmodi, ut num Arriani libri Auctori ob oculos fuerint dubitatio restet. Sed inde a cap. 22 tam presse Itinerarii Auctorem Arriani vestigia legentem deprehendes, exceptis quidem compluribus aut longioribus partibus aut singulis sententiis, de quibus deinceps disseram, ut eius historiam excerpsisse vel contraxisse videatur. Eandem enim fere ubique, quam ille, persequitur narrandi rationem, rebus quippe gestis pari ordine inter se consertis, id quod apud ceteros eiusdem Alexandri scriptores nunquam est factum, adeo ut per totam paene historiae continuationem ita componere queas utriusque singula capita, ut mirifice inter se respondeant. Quod quidem ut facile perspiciatur tabulam hic apponere mihi liceat, qua capitum numeri ex Francofurtiana Itinerarii et Arriani Kruegeriana editione ex adverso sibi positi exhibeantur. Conferantur igitur

[16]) Ne cum Diodoro quidem XVII, 17. Itinerarium illo loco conspirare dici potest (cf. Mai. ed. p. 30 not. 1), quia post verba „*εὑρέθησαν δὲ πεζοὶ Μακεδόνες μὲν μύριοι καὶ δισχίλιοι*“ eundem cum Arriano cunctorum peditum numerum computet: *ὥστε τοὺς ἅπαντας εἶναι πεζοὺς τρισμυρίους*. Quare [illegible] equidem cum Geiero „XXX“ pro „X“ scribenti. Ceterum de numero exercitus Macedonum alia ab aliis scriptoribus stabiliuntur. Cf. Müll. fragm. Ptolem. p. 87.

Itiner.	22	et	Arrian.	I, 15, 3. 6—8,
—	23	-	—	I, 16, 1. 2. 6. 7.
—	24[17])	-	—	I, 17, 3. 4—19, 3. 5. 11; 20—23, 8.
—	25[18])	-	—	I, 24, 4, 5—26, 1.
—	26	-	—	I, 26, 2 usque ad I, 29, 4. et II, 4, 1—4.
—	27	-	—	II, 4, 5. 6.
—	28	-	—	II, 4, 7.
—	29	-	—	II, 4, 8.
—	30	-	—	II, 4, 8—11.
—	31	-	—	II, 5, 6, 9; 6, 1.
—	32	-	—	II, 7, 3—9.
—	33	paulo liberius tract. cf. Arrian. II, 8, 8.		
de —	34	vid. infra.		
—	35	et	Arrian.	II, 10, 2—11.
—	36	-	—	II, 12, 1.
—	37	-	—	II, 12, 3—7.
—	38[19])	-	—	II, 13, 1. 7, 8.
—	39	-	—	II, 14, 1—3.
—	40	-	—	II, 14, 8—9.
—	41	-	—	II, 15, 1. 2.
—	42	-	—	II, 15, 6. 7; 16, 7; 18, 2. 3; 19, 6; 20, 1—4; 21, 2. 7; 23, 1; 24, 4. 5.
—	43[20])	-	—	II, 25, 1.
—	44	-	—	II, 25, 2. 3.
—	45	-	—	II, 25, 4; 26, 1—3.
—	46	-	—	II, 26, 3, 4; 27, 1.
—	47	-	—	II, 27, 1—6.
—	48	-	—	III, 1, 1—5.
—	49[21])	-	—	III, 2, 1. 2; 2, 3.

[17]) Quo iure Auctor dicere potuerit „cui mox reddidit regnum eius urbis“ i. e. Halicarnassi, difficile est dictu, quum eam dirutam fuisse et ipse paulo ante diserte statuerit et Arr. I, 23, 6 narraverit. Atque Arrianum sequens „Alindae“ oppidi nomen in Itiner. quomodocunque excidisse censuerim, esti non ausim pronuntiare ubi delituisse mihi videatur.

[18]) Pro „Asinae interruntio“ scr.: „Sisinae“ aut „Asisinae int.“ ex Arr. I. 25, 3, 4. De scriptura cf. Gronov. ad Arr. VII., 6 et Anecdot. Bekker. p. 173.

[19]) Cum Muell. scr.: „Aradum“ pro eo, quod Maius e codicis scriptura „Arabium“ restituit „Aradium.“ cf. Arr. II, 13, 8.

[20]) Praeter Arrian. et Itin. unus Plut. Al. 29 ex. narrat Darium „X milia talentum“ Alexandro obtulisse pro matre, uxore, filiis, quum Iustin. XI. 12, 10 et Curt. IV, 11 triginta milia, Diod. XVII, 54 *τριακίλια* dare voluisse aiant.

[21]) Scr.: „Aristandrum sermo est pronunciavisse“ non „Alexandrum ...“ vid. Arr. III, 2, 3. Ceterum quantumvis graviter hoc caput resipiat Arrianum (cf. verba: „ubi solum describi conveniret“ et *ὅτῳ τὴν γῆν ἐπιγράψουσι* — architectonas et *τεκτόνων* — alphita et *ἄλφιτα* —

Itiner. 50 et Arrian. III, 3, 1—6.
— 51 - — III, 4, 1.
— 52 - — III, 4, 2—4.
— 53 - — III, 4, 5; 5, 1; 6, 2.
— 54[22])- — III, 6, 1; 7, 1—3.
— 55[23])- — III, 7, 4. 5.
— 56[24])- — III, 7, 6. 7; 8, 2—6.
— 57 - — III, 8, 7. IV, 20, 1—3; cf. etiam VI, 11, 4—6.
— 58 - — III, 9, 1—8.
— 59 - — III, 12, 2—4; 14, 4; 15, 1.
— 60 - — III, 13, 3. 4; 12, 3.
— 61 - — III, 13, 5. 6.
— 62 - — III, 14, 1—6.
— 63 - — III. 14, 6 ex.; 15, 1—3.
— 64[25])- — III, 15, 3—6.
— 65 - — III, 16, 1—3.
— 66[26])- — III, 16, 4. 7; 17, 1. 3—6.
— 67[27])- — III, 18, 1—7 et 10—12.
— 68[28])- — III, 19, 1. 2.
— 69 - — III, 19, 2. 4. 5; 20, 2; 21, 1. 2. 6. 7. 9. 10; 22, 1.
— 70[29])- — III, 22, 1; 23, 1. 2. 4—9.
— 71 - — III, 24, 1—4.

gestitaret et *ἐκόμιζον* — pingendo et *περιγραφῆναι*) sunt tamen quae ab eo differant, de quibus v. infra.

[22]) Cum Muell. scr. Mazaeus pro Mazucus; vid. Mai. p. 46, not. 5.

[23]) Item Tigreta pro Pigreta cum eodem; vid. Mai. p. 47, not. 1 et p. 53.

[24]) Quas Arrian. nominatim recenset gentes, hic modo in universum significatae sunt nullo nomine apposito.

[25]) Ab Arr. et Itin., qui „viros centum desideratos Macedonum" dicunt, Diod. XVII, 61 ex. et Curt. IV, 16 ex. differunt.

[26]) Tigris nominatur, quem Arr. III, 17, 1 (cf. Curt. V, 3) *παστίγρην* vocat. Cum Itin. consentit Diod. XVII, 65 ex. alioquin tamen diversus.

[27]) Cod et edd. „emensis nocte stadiis LX." At Arr. III, 18, 5: *Διελθὼν ὅσον ἑκατὸν σταδίους*. Quare dubito an corrigendum sit C pro X, quod ortum videtur ex antecedenti XL. Deinde quod legitur in edd. „transit Persepolim" non rectum esse docet Arr. III, 18, 10: *Ἔλαβε δὲ καὶ τὰ ἐν Περσαγάδαις χρήματα*... Scilicet in cod. est p̄de teste Maio, in quo signo nulla vox latet truncata nisi „Persagadas." Ita Curt. quoque V, 6.

[28]) Exeunt. cap. editores perperam scribunt „quos se sequi coegerat." Codex enim exhibet „quae secatene coegerat," unde ope Arriani III, 19, 2. „quos Ecbatanis coegerat" restituendum esse nemini non liquet.

[29]) Contra Arr. Besus fugiens dicitur „quadrifariam vallatus" fuisse. Arrian. enim III, 23, 2 ait *„τριχῇ δὲ διελὼν τὸν στρατὸν* sqq." „Quadrifariam" illud, nisi est mendum, unde sit petitum nescio. Sed adhuc dubius sum an locus sit corrigendus. Vitiosae etiam sunt vv: Abraxares et Xazacerta. Nam apud Arrian. habes *Ναβαρζάνης* et *Ζαδράκαρτα*.

Itiner. 72[30])et Arrian. III, 25, 1. 3.
— 73[31])- — III, 25, 5—8.
— 74[32])- — III. 28, 1. 2. 4.
— 75 - — III, 28, 9. 4. 5. 6.
— 76 - — III, 28, 8; 29, 1, 2.
— 77 - — III, 29, 3. 4.
— 78 - — III, 29, 6. 7; 30, 3—5.
— 79 - — III, 30, 6—8.
— 80 - — III, 30, 10. 11.
— 81 - — IV, 1, 1—3.
— 82 - — IV, 1, 4. 5; 2, 2. 1. 3.
— 83 - — IV, 3, 1. 4. 1—3. 5.
— 84 - — IV, 3, 6. 7; 4, 1.
— 85 - — IV, 4, 1. 5. 8. 9; 5, 1.
— 86[33])- — IV, 5, 2. 3. 6—9; 6, 2 ex.
— 87[34])- — IV, 6, 3—6.
— 88[35])- — IV, 7, 1. 2—4.
— 89 - — IV, 7, 4.
— 90 - — IV, 8, 1—3, 6.
— 91 - — IV, 8, 6—8; 9, 3. 5.
— 92 - — IV, 9, 5. 9; 10, 1; 11, 4. 5. 12, 7.
— 93 - — IV, 13, 1. 2.
— 94 - — IV, 13, 3—7; 14, 1; 13, 7 ex.
— 95 - — IV, 15, 1—3.
— 96 - — IV, 15, 4—7.
— 97 - — IV, 15, 7. 8.
— 98[36])- — IV, 16, 1. 2. 4—7; 17, 1. 2.
— 99 - — IV, 18, 4—7.

[30]) Pro „Parthos Arionosque" scr.: Parthyaeos Ariosque. Praeter Arr. cf. Diod. XVII, 105 et Itin. c. 73.

[31]) Iterum Xazacertam legitur, ubi „Zarangaeos" postulatur; cf. Arr. III, 25, 8.

[32]) Pro Dracas scribi debet Drangas (vid. Arr. III, 28, 1. Curt. VI, 6, ex. Plin. H. N. VI, 21.) sive Drancas (vid. Iustin. XII, 5, 9.)

[33]) Hic et cap. 87 cum Muell. restituendum est „Polytimetum" pro Polimetum, quod est in cod. et ed. Mai.

[34]) Scr. „Epardus" pro „Pardis" et „Ariusque qui Arios" pro codicis: „Dariusque qui unos," unde Maius: „Dariusque qui Hunnos" et Muell. „Ariusque qui Hunnos." Uterque tamen dubitavit de sua coniectura, proposuitque quam ego recepi emendationem, cf. Mai not. 3. et Muell. ad h. cap. Praeterea corrigas „Spitamenem" ex „Spitantem."

[35]) Pro „apud Arimaspos" scr.: „apud Zariaspa" vel „Zariaspos" cf. Arr. IV, 7, 1. Strab. XI, 514.

[36]) Pistamenes constanter appellatur (semel cap. 87 Spitans, cf. not. 34) cui Spitamenes nomen est ap. Arrianum, ex cuius libro etiam nomina „Phiton" in „Pithon" et „Aristobolus" in „Aristonicus" commutanda sunt. cf. Mai. et Muell. nott. ad h. l.

Itiner. 100[37]) et Arrian. IV, 19, 1—4.
— 101 - — IV, 19, 5.
— 102 - — IV, 21, 1—3 et 5—10.
— 103 - — IV, 22, 1—4.
— 104[38])- — IV, 22, 4—8.
— 105[39])- — IV, 23, 1—3; 24, 6. 7. 9; 25, 1. 4.
— 106[40])- — IV, 25, 5—7; 26, 1—4; 27, 1—4.
— 107[41])- — IV, 27, 5. 6. 9. 8; 28, 1.
— 108[42])- — IV, 28, 3—8; 29, 1; 30, 4.
— 109[43])- — IV, 30, 5—8.

Hactenus Itinerarii Auctorem constanter fere tantum non ubique fideliter Arriani vestigia prementem persecuti paene totum huic addictum dicere possumus tanquam epitomatorem, qui a capite ad caput, a paragrapho ad paragraphum cum Auctore suo pariter progrediatur, hic quidem aliqua re praetermissa, illic aliunde infersa, saepius iisdem verbis usurpatis. Interruptus est ordo et turbatus non amplius semel: cap. 57, ubi de spadone illo narratio retractatur, quae apud Arrianum alio loco posita (IV., 20, 1—3) tempori proelium Issicum subsequenti ascribitur. Cur in Itinerario talis

[37]) Consentirent omnia cum Arriano, praeterquam quod nonnulla aut fusius descripta aut brevius coarctata sunt, nisi ineunt. cap. legeretur „omnes quadringenti viri“ ... et exeunt. „viris XX desideratis.“ Illic enim Arrian. exhibet: „*ἐς τριακοσίους τὸν ἀριθμόν*,“ hic: „*ἐς τριάκοντα μὲν ἐν τῇ ἀναβάσει διεφθάρησαν*.“ Atque mihi quidem uterque Itin. locus vitiatus esse videtur, quamobrem priorem illum sic crediderim corrigendum, ut scribatur „omnes quidem trecenti viri,“ posteriorem, in quo insuper rationi grammaticae non est satisfactum, ita: „Nec tamen amplius viri XXX desiderati s[unt],“ quemodo sententia primaria, quae adhuc desiderabatur, restituitur.

[38]) Videtur esse, non est discrepantia quod legitur „undecima die Alexandriam venit“ et ap. Arrian: *Ὑπερβαλὼν δὲ τὸν Καύκασον ἐν δέκα ἡμέραις ἀφίκετο ἐς Ἀλεξάνδρειαν πόλιν*. Nam voce diversa eandem rem significari nemo non videt.

[39]) Argaeum urbem Mai. et Muell. contendunt esse eandem, quae ap. Arr. IV, 23, 5 *Ἄνδρακα* vel *Ἄιδακα* vel *Ἄνδηλα* nominatur (cf. etiam varias ap. Curt. VIII, 10 nominis formas). Sed eam urbem ex Arriano novimus se dedisse victori sua sponte occupatamque inde eius copiis fuisse. Quare reponas nomen „Arigaei“ urbis, de qua vid. Arr. IV, 24, 6. 7.

[40]) „Accas“ Itin. Auctor vocat, qui apud Arrian „*Ἀσσακηνοί*“ (ita saepius: IV, 30, 5; V, 20, 7; Ind. I, 1, 8) sunt, neque dubium videtur, quin illud nomen ad hoc sit corrigendum, quamquam rursus occurrit cap. 107 et 109. Qui tum Poturaeus dicitur fluvius Arriano IV, 25, 7. *Γουραῖος* est. cf. Mai. p. 77 not. 2.

[41]) „Baziphara“ ter repetitur, ubi Arrian. IV, 27, 5 „Bazira.“ Et „Accarum“ ponitur pro „Assacanorum.“ Apud Arrian. et edd. fluctuantur inter *Μασσάγων, Μασσαγητῶν, Ἀσσακηνῶν* cf. ed. Krueg. adn. p. 118. Duebn. adn. crit. ad h. l.

[42]) Itin.: „erigitur decem aditu tenui.“ Arr. IV, 28, 3: „*ἴσαπερ χθαμαλώτατον σταδίων ἑνδεκα*.“ Ergo fortasse scribendum „erigitur undecim.“

[43]) Cod. Sacamuros pro Assacanos vel Assacenos. cf. not. 42 Mais Majus: Sacas muros ....

transpositio facta sit facile intelleges, quum Plut. Al. c. 30 et Curt. IV., 10 inspexeris, quorum uterque fabulam illam ante pugnam, quae ad Arbela sive Gaugamela commissa est, commemorat. Nimirum quod Arrianus non eo, quo par esset loco factum illud narravisse Auctori procul dubio videbatur, horum auctoritate permotus ordinem rerum mutavit, quamquam non illorum sed Arriani vestigiis insistit, quod manifestum est ex rerum verborumque conspiratione. Neque enim apud Arrianum neque in Itinerario de Darii uxoris morte copiose ab illis exornata mentio fit, et verba adhibentur ab utroque paria vel similia, velut eunuchum et *εὐνοῦχον*, petisse divinitus et *εὔξασθαι*, alia.

Quodsi in illa mutatione non est cur haereamus, eo vehementius miramur, quod subito cum cap. 110 Auctor de via, quam eo usque ingressus erat, deflectit plane contemto reiectoque, quem sequebatur, Arriano, indeque se dat alii, a quo ducatur, ipsi quidem digno viso, sed, ut infra videbimus, vel indignissimo, tametsi initio libelli „fidei amicissimis tantum scriptoribus“ usurum se promisit. Iam quis sit, cuius auctoritati exitum libri sui Auctor accommodaverit, priusquam exponam, recurrendum est ad ea, quae iam percurrimus, ut quem in modum Arrianum ille in usum suum converterit videamus, et quid extrinsecus Arrianeis inculcaverit.

Atque accuratior quidem Arriani et Itinerarii comparatio non minimum valet ad sententiam meam comprobandam, Auctorem non Ptolemaei vel Aristobuli, sed ipsius Arriani assectatorem esse, si cui omnino non sufficere videantur, quae iam attuli. Haud pauca enim sunt,, quae ad verbum fere cum Arriano consonent, velut cap. 36 cum Arr. II., 12, 1; cap. 44 cum Arr. II., 25, 2, 3, cap. 80 cum Arr. III., 30, 10. 11, cap. 87 cum Arr. IV., 6, 3—6, cap. 96 cum Arr. IV., 15, 4—7, alia, ne citem omnes singulas sententias, quas integras in suum transtulisse libellum Auctor se prodit, sicut init. cap. 25: „Cumque ageret Phaselide, audit Aeropi filium novare adversum se res velle et quae seqq.,“ quae sententia adaptata est huic (Arr. I., 25, 1): *Ἔτι δὲ αὐτῷ περὶ τὴν Φασηλίδα ὄντι ἐξαγγέλλεται Ἀλέξανδρον τὸν Ἀερόπου ἐπιβουλεύειν* cett., — unde recte interponi a V. Ill. Haasio vocem „Alexandrum“ ante v. „Aeropi“ simul patet, — sexcentasque alias, quas enumerare longum est.[44]) Quid quod Auctor etiam ea exscripsit, quae nullius nisi Arriani iudicium aperte exprimunt, sicut fecit cap. 88 his verbis: „idque supplicii genus durius visum, quam severitas graeca est“ translatis ex Arr. IV., 7, 4: *Καὶ ἐγὼ οὔτε τὴν ἄγαν ταύτην τιμωρίαν Βήσσου ἐπαινῶ, ἀλλὰ βαρβαρικὴν*

[44]) cf. praeterea cap. 31: . cum Darius ei adnuntiatur omni cum belli apparatu abesse . . .“ et Arr. II., 6, 1: *αὐτῷ ἀγγέλλεται Δαρεῖον ἐν Σούσοις ξὺν τῇ πάσῃ δυνάμει στρατοπεδεύειν* . . .; cap. 35: isque finis belli fuit“ et Arr. II.. 11 ex. *Τοῦτο τὸ τέλος τῇ μάχῃ ἐκείνῃ ἐγένετο*, cap. 37 et Arr. II., 12, 7 ex., cetera.

εἶναι τίθεμαι τῶν ἀκρωτηρίων τὴν λώβην; et cap. 58 ubi Arriani III., 10, 3 sententiam recoquit, qua explicatur, quibus de causis Parmenionis consilium, ut noctu Persas adoriretur, Alexander revera videatur reiecisse. Quid quod in ipsos errores incurrit Auctor, in quos Arrianus delapsus erat? Simul enim cum Arriano inter provincias, quas Alexander peragravisse narratur, Galatiam quoque cap. 26 recenset tanquam illo tempore sub hoc nomine iam notam. Nam recte animadvertit St. Croix p. 172 temporibus Alexandri M. eam regionem, quam Galli 250 a. Chr. occupabant, ad Phrygiam magnam pertinuisse, unde sequitur, ut Arrianus nomen, quod sua aetate in usu erat, usurpaverit cum eoque Itin. Auctor, qui nescio unde Bithyniae nomen adiecit. Commune cum Arriano etiam habet erratum „de Abiis Scythis ab Homero iustitiae laudatis“ (cap. 81).[45]) Homericos enim Abios verisimile est in Europa habitasse, non a Sogdianis ortum versus ut illi, qui ab Arriano et Itin. Auctore memorantur. Apud utrumque denique de Clito narratio prius perhibetur, quam pro temporum ratione licebat; cf. Arr. IV., 8, 1 et IV., 14. cum Itin. 90. Quodsi haec omnia ad arctiorem quandam inter Arrian. et Itin. societatem demonstrandam iam sufficere iure dici possunt, aliis quoque indiciis iisque non exigui momenti ut ita statuamus permovemur. Etenim omnium et Ptolemaei et Aristobuli fragmentorum, post Geier. et Hullem. a Car. Muell. in ed. script. Alex. collectorum, quae apud Plutarch. Strabon., alios, supersunt, nullum est, cuius vestigium vel tenuissimum in Itinerario detegi possit; cf. Plut. d. mul. virt. p. 259 E. p. 320, Did. Plut. Demosth. c. 23, id. d. fort. Alex. or. I., c. 3, Athen. II., p. 43, D. Plut. Al. c. 21, Athen. XII., p. 513, F. Strab. XI., p. 509, Athen. VI., p. 251, A. Strab. XV., p. 694, id. XVII., p. 824, id. XV., p. 714, XVI., p. 741, 766. Quibus omnibus locis quae de Ptolem. et Aristob. conservata sunt, non minus in Itin. quam apud Arrian. tacentur, quod casu et fortuito factum esse cui videatur non puto quemquam fore. Namque gravius etiam argumentum obstat, quod Auctor cap. 37 Ptolemaei et Aristobuli testimonia apud Arrianum II., 12, 3—5, laudata aspernatus fabulam illam de Alexandro Darii uxorem filiasque visente eidem Arriano (ib. § 6, 7) memoratam, simul tamen suspectam[46]) praetulit. Nimirum Alexander ipse in fragmento epistolarum, quod servatur in Plutarchi vita Alexandri c. 22, testatur se nunquam Darii uxorem vidisse et videre voluisse. Ac tale exemplum non est unicum; similiter enim egit Auctor cap. 28 sq., Aristobuli auctoritate neglecta cf. Arr. II., 4, 7. Plut. Alex. cap. 19. Diodor. XVII., 31. E contrario vero, ubi simul et Ptolemaei et Aristobuli apud Arrianum praesto sunt testimonia, non

[45]) cf. Hom. Il. 13, 6 cum Eustath. et Curt. VII., 6, 11 cum interpp. et Schmied. ad Arr. IV., 1, 1.

[46]) cf. ib. § 8: καὶ ταῦτα ἐγὼ οὐθ' ὡς ἀληθῆ οὔτε ὡς πάντη ἄπιστα ἀνέγραψα.

satis habet alterum protulisse, sed utriusque eodem tempore verba sive apte sive incommode commiscet et confundit velut cap. 50, coll. cum Arr. III., 3, 5 et 6, et cap. 86, rebus quippe secundum Ptolem. relatis, numeris sec. Aristobul.; cf. Arr. IV., 5, 6—9 et IV., 6, 1. 2.

Quae quum ita sint, vix ac ne vix quidem dubitari potest, quin Arriani liber Auctori Itinerarii ob oculos fuerit, quo in expilando quid iudicii adhibuerit, partim ex iis, quae modo disputavi, partim ex his, quae sum explicaturus, satis superque elucet. Non magni enim esse eius iudicium primo obtutu videmus, quum saepissime negligentem se et incuriosum prodat, ne dicam ineptum. Non accurate cap. 31 scribit „Darius ei adnuntiatur . . . . abesse bidui via;“ nam Arrian. II., 6, 1: ἀπέχει δέ, inquit, τῶν πυλῶν τῶν Ἀσσυρίων ἐς δύο μάλιστα σταθμούς, ad quas portas, eodem Arr. teste, secundo demum die post illum nuntium acceptum Alexander pervenit; et similiter cap. 69: „unius diei reliquo intervallo“ quum paulo aliter ap. Arr. III., 20, 2 legatur. Deinde cap. 35: „et thessalos equites . . . hostium globos ilico discidisse,“ Arrian. enim II., 11, 2: καὶ ταύτῃ ξυνέστη ἱππομαχία καρτερά et seqq. cui loco apte subiungitur cap. 63: „ . . . quin viso tali auxiliatore protinus cuncti laberentur,“ coll. cum Arr. III., 15, 2: καὶ ἱππομαχία αὕτη καρτερωτάτη τοῦ παντὸς ἔργου ξυνέστη. et cap. 85: hostes primo incursu fugat coll. c. Arr. IV., 4, 6. Nemo autem, puto, ex cap. 42, percipiet Tyrum per septem menses oppugnatam fuisse (vid. praeter Arr. etiam Curt. IV., 4. Diod. XVII., 46. Plut. Al. 24), quinimo facile de vero tempore decipietur his verbis „triduo facile laboratur,“ translatis ex Arr. II., 23, 1: Τρίτῃ δὲ ἀπὸ ταύτης ἡμέρᾳ seqq. Tum legationem Atheniensium, quorum precibus commotus Alexander captivos domum remiserit, Itin. Auct. c. 53 ex. non cum Arrian. III., 6, 2, cuius verbis tamen utitur, Tyrum advenisse sed Memphim facit. Item minus recte cap. 54 Mazaeus „interturbare“ dicitur, quando Arr. III., 7, 2, eum aufugisse testis est, quum Alexander appropinquaret. Nec si numeros ab Itin. Auct. computatos ad calculum revoces, ubique eum Arriano diligenter usum reperies cf. cap. 56: „pedes vero his tricies tantum“ (i. e. CXX. milia), coll. c. Arr. III., 8, 6 ἑκατὸν μυριάδας; et cap. 64: „totidem captis“ coll. c. Arr. III., 15, 6. et cap. 106: Accas quadraginta milia armavisse“ coll. c. Arr. IV., 25, 5. Sed negligentior eamque ob causam etiam obscurior est Auctor cap. 83 sic scribens „Alexander amnem transit;“ debebat enim scribere „intrat per amnem vel alveum in urbem;“ torridum enim fuisse atque exsiccatum amnem narrat Arr. IV., 3, 2.

Aliis id genus exemplis nunc missis unum addam petitum ex cap. 99, ubi de pretio agitur, quod Alexander saxum illud Sogdianum ascendere ausuris proposuerit. Inde enim quam Auctor in rem enucleate dilucideque explicandam non attenderit manifestissime

apparet, quippe quum, nisi Arr. IV., 8, 7 vel Curt. VII., 11 consulueris, omnino non possis intellegere, quomodo rex rem instituerit.

Sed haec ad negligentiam Auctoris et incuriam, qua libellum suum cnnflaverit ex Arriani historia, demonstrandam sufficiant. Possum plura afferre, et omnia illa enumerare, quae immerito in Itinerario omissa videntur; ne fines tamen huius commentationis excedam, transeo ad ea dispicienda et tractanda, quae ab Arriano aliena undecunque narrationi inferta et adiecta occurrunt.

II.

Haud pauci sunt loci, qui neque ex Arriani Anabasi sunt sumti, neque cum Aristobuli et Ptolemaei historiis, qualesqunque fuerunt, possunt conciliari et consociari, quorum alii aliunde rccepti cum toto historiae corpore videntur coaluisse, plurimi tamen, nisi omnes, ex eodem fonte eoque non ita limpido profluxerint. Eos nunc singulos percenseamus.

Cap. 18 ex. legimus: „ubi (sc. apud Ilium) hasta humi fixa omen sibi facit Asiae bello quaerendae, quam Persa miles ea tempestate possidebat.“ De hasta humi fixa nihil scripsit Arrianus (cf. I., 11, 7. 8), scripserunt vero Diodor. XVII., 17 in. et Iustin. XI., 5, 10. Illius sunt verba haec: „. . . . *καταπλεύσας πρὸς τὴν Τρῳάδα χώραν, πρῶτος τῶν Μακεδόνων ἀπὸ τῆς νεὼς ἠκόντισε μὲν τὸ δόρυ, πήξας δ' εἰς τὴν γῆν καὶ αὐτὸς ἀπὸ τῆς νεὼς ἁφαλλόμενος παρὰ τῶν θεῶν ἀπεφαίνετο τὴν Ἀσίαν δέχεσθαι δορύκτητον.* Iustini autem: „Cum delati in continentem essent, primus Alexander iaculum velut in hostilem terram iecit;“ quae quidem longius recedunt ab Itiner., quam Diodori, a quo locus videri possit ductus esse. Cap. 18 deinde leg.: „apud flumen Granicum congreges locant castra“ sc. satrapae Persae. Arrian. I., 12, 8 contra ea: „*Περσῶν δὲ στρατηγοὶ . . . . πρὸς Ζελείᾳ τῇ πόλει κατεστρατοπεδευκότες ἦσαν*; sed Diodor. XVII., 18: *οἱ δὲ τῶν Περσῶν σατράπαι . . . . κατεστρατοπέδευσαν δὲ παρὰ τὸν Γράνικον ποταμόν . . .* Tum cap. 22 initii sententia: „Satis tamen constat hic quoque laudis palmam penes regem fuisse“ non tam Arriani quam Diodori exprimit verba haec „*ὁμὲν βασιλεὺς ὁμολογούμενον τῆς ἀνδραγαθίας τὸ πρωτεῖον ἀπηνέγκατο καὶ τῆς ὅλης ἔδοξε μάλιστα αἴτιος γεγονέναι.*“ Etiam in cap. 35 sunt, quae apud Arrian. frustra circumspicias. Verba enim „Alexander tandem victor ad Darii epulam subit“ apud unum Diodor. XVII., 36 ex. (cf. Plut. Al. 21 in.) reperiuntur haec exhibentem: *οἱ δὲ τοῦ βασιλέως (Ἀλεξ) παῖδες καταλαβόμενοι τὴν τοῦ Δαρείου σκηνὴν τάκεινου λουτρὰ καὶ δεῖπνα παρεσκευάζοντο*, et ib. c. 37 med. *ἐτρέπετο πρὸς ἄνεσιν καὶ δειπνοποιΐαν.*“ Necnon caput 62 Itin., ubi Cadusii — ita enim pro „quasvisia,“ quod est in cod. recte Maius scripsisse videtur — memorantur, quorum

mentio apud Arr. huc spectanti loco facta non est (est vero III., 11, 3; 8, 5; 19, 3), Diodori verbis adaptatum videri posset, qui illos diserte nominat XVII., 59 med., nisi magis alioquin cum Arriano quam Diodoro consonaret. Neque scio an Itin. cap. 66 conspirationem quandam cum Diod. XVII., 17, ex. prodat, quoniam apud utrumque fluvius, quem Alexander Uxiorum fines petens transmisit, Tigris, non Pasitigris, sicut Arr. III., 17, 1 et Curt. V., 3 in. malunt, appellatur. Praeterea totus locus, qualis est ap. Diod., non male cum Itin. congruit: Diodori verba cap. 65 sunt: „*εἰς δὲ τὴν Σουσιανὴν καταντήσας ἀκινδύνως παρέλαβε τὰ περιβόητα ἐν Σούσοις βασίλεια*“ et cap. 67: „*διαβὰς δὲ τὸν Τίγριν προῆγεν ἐπὶ τὴν Οὐξίων χώραν.*“ Verbum enim *προῆγεν*, si quid momenti in eo collocare licet, melius respondet verbo „pergit,“ quam Arriani „*ἐμβάλλει εἰς τὴν Οὐξίων γῆν.*“

Praeter Diodorum Plutarchus quoque in vita Alex. nonnulla praebet, quae propius ad Itinerarii verba accedere videntur, quam quae apud Arrian. exstant; exempli gratia cf. Itin. c. 21 cum Plut. cap. 16 et Arr. I., 14, 4; 15, 2, 4; quamquam de iis in utramque partem disputari posse confiteor. Apertus autem concentus est inter Itin. c. 23 ex. et Plut. 16 ex. Illic legitur: „Praedae pleraque iactans gloriae matri transmittit,“ hic: „*καὶ ὅσα τοιαῦτα τῶν Περσικῶν ἔλαβε πάντα τῇ μητρὶ πλὴν ὀλίγων ἔπεμψεν.*“ Praeter hos vero duos nemo quidquam de eadem re litteris mandavit. Plutarcho etiam deberi videntur quae cap. 49 de prodigio avium polenta pastarum narrantur: „Sed enim mox in cetera providentia rege distento adlapsas alites depastasque edulium aspergine liniamenti.“ Ea desiderantur apud Arrian., similiter vero exposita sunt a Plut. Al. 26 med.; Curt. IV., 8 med. Iason. ap. Steph. Byz. s. v. *Ἀλεξάνδρεια* (cf. Car. Muell. script. Alex. p. 160) Val. Max. 1, 4. Eustath. ad Dion. p. 37. Pseud. Call. I., 32 ed. Muell. p. 34, cum Iul. Val. I., 26 cf. Mai. ad Iul. Val. p. 135, not. 2. Plutarchus autem seu potius qui ei praeierat videtur ceteris fabulam tradidisse, quum omnes cum eo maximopere consentiant; idem inde quoque patet quod Alexandria urbs a coniectoribus ap. Plut. *παντοδαπῶν ἀνθρώπων ἐσομένη τροφός*, ap. Iason. eadem voce, in Itin. „altrix futura,“ a ceteris similiter vocatur, quum tamen Arrianus dicat „*φάναι εὐδαίμονα ἔσεσθαι τὴν πόλιν . . .* Quamobrem ex duobus diversis fontibus illud Itin. cap. 49 profectum esse videtur, nisi forte etiam ex pluribus, siquidem extrema sententia („coramque . . . laudantur“) nusquam apud ceteros est enuntiata. Iam vero dubius haereo, quid statuam de Itin. c. 35, ubi sane plurima ex Arriano sumta deprehenduntur, nonnulla tamen insunt, quae Arriano repugnare videantur, quippe qui II., 11, 9 mulieribus e familia Darii captis et abductis sororem quoque accenseat, quam tacet Itin. Auctor, sicut tacent Diodor. XVII., 36 (cf. 31 med.) Plut. Al. 21 in. Curt. III., 11., ut his scriptoribus cum Itinerario idem fons

fuisse videatur isque ab Arrian. i. e. a Ptolem. et Aristob. diversus. Sed aegre dixeris utrum ex eo ipso Itin. Auct. hauserit, an illorum auctoritate permotus Arriani textum mutaverit. Arrianum certe secutus est in subsequentibus („quum tamen . . . Damasci commendavit") quae eodem ordine locata sunt ap. Arr. II., 11, 9, plane desunt ap. Diod. Plut. Curt. Ambiguum etiam est, unde Auctor cap. 36 verba „et Persa ex pari sc. uti sepeliretur iubet, Alex." sumserit, ex Plut. Al. 21 in. („*θάψαι γὰρ ὅσους ἐβούλοντο Περσῶν ἔδωκεν*") anne ex Curt. III., 12 med. („Persarum quoque nobilissimis eundem honorem sc. sepulturae haberi iubet), an aliunde. Nullum enim certum indicium exstat, quod nobis hoc vel illud persuadeat.

Quid vero capite 34 faciendum est? Quae enim ibi de Alexandro ante pugnam Issicam alto somno consopito narrantur, omissa sunt ab Arriano ceterisque scriptoribus alio loco posita. Nam et Diod. XVII., 56 et Plut. Al. 32 in. et Iustin. XI., 13, 1—3 et Curt, IV., 13 med. ea nocte aiunt Alexandrum somno oppressum fuisse, quae proelium ad Arbela antecesserit. Quid auctorem commoverit, ut sua sponte rem illuc transponeret verba Arriani praebuisse consentaneum est. Arr. enim II., 8, 2 priusquam proelium describat Issicum, *ὡς δὲ*, inquit, *ἀμφὶ μέσας νύκτας ἐκράτησεν αὖθις τῶν παρόδων, ἀνέπαυε τὴν στρατιὰν τὸ λοιπὸν τῆς νυκτὸς αὐτοῦ ἐπὶ τῶν πειρῶν, προφυλακὰς ἀκριβεῖς καταστησάμενος*. Par vero opportunitas narrationis illius interponendae Auctori ab Arriano non datur in alterius proelii, quod apud Arbela factum est, descriptione, quamobrem quae erat commodior arripuit illam priorem, utpote qui silentio praeterire noluisse videatur, quae ab omnibus praeter Arrianum memoriae tradita esse animadverteret. Sed si quaerere velis, unde verba sua mutuatus sit Itin. Auct., frustra laborabis, quia apud omnes fabula varie est exornata.

Facile autem Curtii vestigia indagari possunt, cujus aliquot locis aperte elucet auctoritas, velut cap. 42, in quo Tyrii „internuntiis caesis causas belli sibi et excidii peperisse" dicuntur contra Arrianum, qui non minus eius facinoris nullam mentionem fecit, quam ceteri rerum gestarum Alexandri scriptores, praeter unum Curtium (IV., 2, med.) rem his verbis testatum: „caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, misit; quos Tyrii contra ius gentium occisos praecipitaverunt in altum, atque ille suorum tam indigna nece commotus urbem obsidere statuit." Deinde Itin. c. 62 curru Darium ad fugam usum esse neque Arrianus neque quisquam alius memoravit exempto Curtio, cuius verba IV., 15, ex. haec sunt: „quum Darius quoque currum suum in fugam vertit . . . . Exaudiebantur tantum strepitus habenarum, quibus equi currum trahentes identidem verberabantur." Pariter etiam quidquid de Abiorum moribus vivendique genere affertur Itin. c. 95, non Arriani, qui admodum pauca de Abiis retulit, sed Curtii auctoritatem redolet; cf. Curt. VII., 6, 11 et VII., 8 ubi

Scytharum i. e. Abiorum legati elegantem satis et politam orationem habentes introducuntur, praeter aliaque sic loquentes: „Dona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum boum, aratrum, et sagitta et patera." Unde etiam perspicuum fit, cur Abiis „blandiloquentia" (cf. Itin. 95, ex.) tribuatur. Denique cap. 97 quoque aliqua cum Curtio consensio latere mihi videtur. Ibi enim de duobus fontibus sermo est, qui Alexandro eiusque militibus „horrori fuere prae admiratione;" alter scilicet olei erat, alter vini, ut Itinerarii Auctor testis est. Arrianus tamen qui et ipse de duobus quibusdam fontibus verba facit, non vini et olei, sed aquae et olei fuisse docet (vid. IV., 15, 7): *οὐ μακρὰν τῆς σκηνῆς τῆς αὐτοῦ Ἀλεξάνδρου πηγὴ ὕδατος καὶ ἄλλη ἐλαίου πηγὴ πλησίον αὐτῆς ἀνέσχε*. Quomodo igitur accidit, ut Itin. Auct. vini fontem quam aquae fuisse mallet? Equidem fabulae fingendae Curtii verba in causa fuisse suspicor haecce (VII., 5, in.): „Ergo quidquid vini oleique erat hominibus ingerebatur" et quae seqq. Ex Sogdianorum enim et Oxi mentione de eadem expeditione apud utrumque, et Curt. et Itin. Auct., agi, luce clarius est. At est fortasse quispiam, cui talis ab Arriano discrepantiae interpretatio displiceat. Ei alteram proponam hanc: Apud Strabon. XV., p. 715, Onesicriti fragmentum servatum est (cf. Muell. fr. 10, p. 51), quo Calanus quidam gymnosophista ita fatus esse ad Alexandrum dicitur: „*Τὸ παλαιὸν πάντ' ἦν ἀλφιτων καὶ ἀλεύρων πλήρη καθάπερ νῦν κόνεως· καὶ κρῆναι δ' ἔρρεον αἱ μὲν ὕδατος, γάλακτος δ' ἄλλαι, καὶ ὁμοίως μέλιτος, αἱ δ' οἴνου, τινὲς δ' ἐλαίου*, et quae seqq. Quae verba non est vero dissimile cum genuina et germana Alexandri historia sive ab Itin. Auctore sive ab alio quo temere esse contexta.[47]) Utut est, nemo tam ineptam et anilem fabellam quovis magis quam historico scriptore dignam esse non concedet, ut vel hinc manifestum sit, quam frustra Maius praef. p. XVI. pro Auctoris sui fide et auctoritate his verbis propugnet:

> „Quis enim pro dignitate admiretur hominem qui tantas res paucis explicaverit chartis, doctis profecto, ut cum Catullo loquar et laboriosis? quique in tanta scribentium licentia numquam a veritate se abduci passus est, numquam a fide decessit."

Quae ut futilia et inania facilius etiam per extremam ipsius Itinerarii partem, de qua deinceps disseram, refelluntur et refutantur. Priusquam ad eam procedam, restat ut nonnulla adiiciam de cap. 79 coll. c. Arr. III., 30, 6—8. Quos duos enim Tanaides Arrianus inter se ita distinguit, ut unum, Aristobulo teste etiam Iaxartem appellatum, e Caucaso ortum in Hyrcanum mare exire,[48]) alterum

[47]) cf. infra.

[48]) cf. Strab. XI., 7, p. 509. Plin. N. H. VI., 16, 18. Droysen, p. 314. Muetz. ad Curt. p. 586.

ex mago lacu profectum in alium maiorem lacum, Maeotim dictum ferri, Herodoto auctore (4, 57) usus statuat, hos duos Itin. Auct. non minus perverse confundit, quam quae ille de singulis exposuit. Nam eum Tanaim qui mare Hyrcanum intrat Europam ait Asiamque separare, alterumque huius partem facit. Ille error qui occurrit etiam ap. Iul. Val. III., 84 (ed. Mai.) unde natus videatur indicat Strabo XI., 509 D. (cf. Car. Muell. script. Alex. p. 131), unde Polycletum discimus primum duos illos Tanaides commiscuisse coniunctionemque aliquam inter paludem Maeotidem et mare Caspium statuisse. Quare illuc refero verba Itin.: „Eius pars fertur Tanaidos humo Asia paludibus Maeotis emergere denuo." Ceterum vid. infra.

Diodori igitur, Plutarchi, Curtii vestigiis quae detegi potuerunt, perlustratis sponte nascitur quaestio, sitne Auctor Itin. ipsorum libris usus, an iis, quos illi oculis subiectos habuerunt, an alio quodam libro, in quo multa et varia coacervata fuerunt. Cui quaestioni sane perdifficili ut rite respondeatur dubitari potest num omnino fieri queat; nihilominus quae sit mea opinio infra dicam, quum cetera quae restant de Itinerarii fontibus explicanda excussero.

III.

Quaecumque hucusque pertractavimus, si eximas capp. 97 et 79, omnia eius generis sunt, ut Auctorem figmenti alicuius convincere nequaquam possis; nam petita sunt ab scriptoribus veracibus et fide plerumque dignis. Quae vero supersunt ex impuro et lutulento fonte manavisse omnia aut per se manifestum est facilique negotio comprobari potest, aut ex obscurioribus indiciis colligi debet. Fons ille est idem, ex quo multi omnium fere inde a quarto saeculo Christiano temporum, imprimis medii aevi poetae aliique rerum Alexandri M. scriptores hauserunt: Pseudo-Callisthenis dico historiam Alexandri graece scriptam, primum a Car. Muell. Paris. 1846 ex tribus codd. Paris. editam[49]), cuius latinam interpretationem sub Iulii cuiusdam Valerii nomine circumlatam compluribus annis ante una cum Itinerario Mediolani Ang. Maio curante in lucem prodisse iam supra p. 1 sqq. memoravi. Ea interpretatio quemadmodum saepe libris mss. iterata et multiplicata est (cf. Muell. Ps. Call. introd. p. VIII, not. 11.), ut quae in ed. pr. desiderabantur mox suppleri possent (cf. supra p. 1, not. 7 et 8), ita in graecis quoque Pseudo-Callisthenis identidem describendis ampla librariorum multitudo operam posuit. Sed multa saepe pro se quisque adauxe-

[49]) De origine, indole, incrementis historiae Pseudo-Callisthenea praestantissime praefatus est Muell. in ed. In vernaculam nostram linguam transtulit historiam Henr. Weismann. in editione carminis de Alexandro Lamprechtiani. („Alexander, Gedicht des zwölften Jahrhunderts vom Pfaffen Lamprecht" tom. II. Francof. ad M. 1850.)

runt, resecuerunt, conturbaverunt, adeo ut quot sunt codices mss. tot sint diversae recensiones (vid. Muell. introd. p. VII. sqq.). Quo fit ut quos Car. Muell. excussit codices tres plurimum inter se differant. Vetustissimus eorum, quem Muell. littera A significavit, nobis potissimum spectandus est, non solum quod Iulii Valerii latina maximam partem illuc redeunt, sed etiam quod fundus omnium haberi debet, quae ex Pseudo-Call. historia in Intinerarium traducta sunt. Est vero illa historia aniliter garrula, multis fabulis saepe inficetis et ineptis repleta, quarum summarium habes ap. Muell. introd. p. X sqq. Ex hoc igitur libro suis temporibus valde lectitato maximique aestimato Itinerarii Auctor quidquid in suam historiolam recepit proque vero venditare non erubuit, nunc singillatim perstringamus.

Ac statim cap. 11. prooemii verba „ille sibi soli vicisse gloriatus" agnoscuntur Pseudo-Callistheni quodammodo debita. Hic enim III, 1 orationem facit Alexandrum habentem taliaque iactantem: *„Τοῦτο μέντοι ὑμᾶς ὑπομιμνήσκω ὅτι κἀκείνους τοὺς πολεμίους ἐγὼ μόνος ἐνίκησα, καὶ ὅσους βούλομαι λαβεῖν τῶν βαρβάρων πάλιν μόνος νικήσω.* cf. Iul. Val. III, 2 ex. — Paulo post cap. 12, quae iam supra notavi (cf. p. 5) verba: „quod hi praesidentem Aegensi theatro Philippum interemissent," repugnantia quippe omnium scriptorum testimoniis, nituntur Ps. Call. I, 24, p. 24, ubi haec: *τοῦ Φιλίππου*[50]) *ἐν τῷ Ὀλυμπίῳ θεάτρῳ ἀγωνοθετοῦντος ἐπεισέρχεται ξιφήρης [ὁ Παυσανίας] εἰς τὸ θέατρον μετὰ καὶ ἑτέρων γενναίων ἀνδρῶν ἀνελεῖν βουλόμενος τὸν Φίλιππον κτλ.*, quae Iul. Val. I, 10 ed. Francof. sic vertit: „comperiens . . . certamenque thymelae tunc agi a Philippo praesidente . . . strictis gladiis irruit theatrum . . ." Deinde cap. 16 sententia „eximque cum mari dextro . . . die eadem regressus ad suos...." prope accedit ad Ps. Call. I, 44: *κἀκεῖθεν* (sc. *ἐξ Ὀλύνθου*) *ἦλθεν ἐπὶ τὸν Εὔξεινον πόντον κτλ.*, propius vero ad Iul. Val. I, 60 ex et 61. in: „His dictis iter ad Euxinum tendit . . . ad Maeotim paludem venit" quamquam apud neutrum nihil de Gothis dictum, nihil unde verba „die eadem regressus ad suos" sumta videri possint; nisi forte pro „Gothos" scribere malis „Locros" (cf. Pseud. Call. I, 45. in. cum Iul. Val. I, 63 in.). Nam in nominibus propriis multum peccavit librarius; alioquin facilior longe emendatio suppeteret „Getas" (cf. Arr. I, 3, 2), nisi omnino Auctor illic Pseud. Call. usus esset. At quid plura? Certi aliquid statui nequit, quoniam codicis A, cuius quid valeat auctoritas in Itinerario, mox in aperto erit, intercidit

[50]) Per errorem calami ap. Muell. expressum est *Φιλίππῳ*. Ceterum cod. A aliquantulum recedit a B et C; exhibet enim haec: *„. . . μαθὼν ὁ Π. τὸν Ἀλέξανδρον ἀποδημοῦντα καὶ τὸν Φίλιππον ὄντα ἐν ταῖς θεωρίαις ἐπέρχεται ξιφήρης κτλ.*

folium illud, quo quae huc faciunt continebantur; vid. Muell. Ps. Call. p. 47 not. 27 et p. 49. not. 7 ad I, 44. Quare non multum abest quin etiam sequentia nomina (Daci, Moesi, Illyrii, Dalmatae), quae desiderantur ap. Arrian. ceterosque, indidem, unde priora, profecta esse contendam, quamquam nunc desunt ap. Pseud. Call. et Jul. Val. Idem quadrat in cap. 18, ubi legitur: „Eo usque a matre deductus acuitur ad gloriam“ i. e. Amphipolin deductus . . . Quam sententiam in deperdito codicis A folio aliquando exstitisse, evidens est ex Iulii Valerii latinis I, 59: „Huc usque autem comes eius itineris ac laboris mater Olympias fuit“ i. e. ad Ilium usque. De matre igitur filium comitata, quum nihil unquam a ceteris scriptoribus traditum sit, consentiunt Itin. Auctor et Iul. Valerius, dissentiunt tamen in loco; quod qui factum sit difficile est dictu; sed coniectare licet Iulii Valerii sive Ps. Callisthenis historiam hic loci esse aut ab ipso auctore, quod parum probabile, aut a librario perverse habitam et deformatam. Legas enim quaeso insequentia Ps. Call. et Iul. Val. capita, quibus Alexander, etsi „devertens iter institit ad Darium“ (Iul. Val. 1, 59. ex.) in urbem Abderam pervenisse narratur ad paludemque Maeotim, Agragantum deinde, Thebasque denique Corinthum, quae omnia statim post cap. 57 (Iul. Val.), ubi de Orphei statuae prodigio agitur (vid. Itin. c. XVII.) interseri debebant. Neque dubitarem capitum transpositionem aliquam commendare, ita quidem, ut post capitis 58 ap. Iul. Val. verba ineunt.: „Hisce auditis . . . muneratur“ primum aliqua excidisse statuerem (vid. Ps. Call. I, 43 in., ubi vox „*Ἀμφίπολιν*,“ a Car. Muell. restituta ex codd. *πύλην*, adhuc conservata est cf. Itin. c. 18), tum illa „Huc usque . . .“ sqq. subiicerem, nisi tota rei conditio talis esset, ut quaevis commutatio temeraria videretur et importuna; in graecis enim codd. B et C rerum series eadem est atque in latinis.

Sed ne iusto diutius huic loco immorer, transeo ad cap. 19, cuius pars prior recedit longe ab Arriano, prope vero accedit ad Pseud. Call. I, 39 ex. cum Iul. Val. I, 50[51]). quamquam ipsum capitis initium ne apud hos quidem occurrit, ut taceam de Diodor. Plut. ceteris, qui omnes omnino ab illo Itin. loco differunt. Quare Auctor integrius aliquod exemplar, quam quod nos possidemus, fabulosae istius historiae ad manum habuisse mihi videtur, cui sic conicienti summopere favent capitis 28 haec verba: „delectatusque tali elemento . . . saltu pontem fluminis scandit una clypeo loricaque vel telo cum casside inque amnem sese . . . praecipitat eiusque omnem retentans arma latitudinem natat.“ Quum

[51]) Itin.: „Sed enim satrapae notam ignaviae declinantes quam in se scirent a rege supplicio punitum iri sqq.“ Ps. Call.: „*Παῦ' ἐμοῦ*, inquit Darius *μηδέποτε ἔχοντες ἐλπίδα τινά, ἐὰν μεταβῆτε τῆς χώρας* cett. et: *ἐπεὶ τὴν ἐμὴν βασιλείαν κατηχόνατε ἄνευν δεδωκότες ἀνδρὶ λητῇ*. cf. Iul. Val.

enim Arrian. de armis nihil, Iustinus vero XI, 8, 3 diserte enuntiet „proiectis armis,“ Curt. III, 5 in. item „veste deposita,“ Pseudo-Callisthenem commenti fabrum fuisse, cuius quidem verba dudum interierunt, certissimum est Iul. Val. II, 31 hac sententia: „delectatus eius sc. Cydni evidentia pariter et magnitudine una cum armis praecipitat ponte ac natabundus exit.“ Quibus simul patet Itinerarii Auctori uberiorem aliquem fontem quam Iulio Valerio suppeditasse. Id vero idemtidem observabimus in extremis Itinerarii capitibus (inde a cap. 110), de quibus superest ut disputem.

Ultima Itin. capita integra et tota ab Arriani historia abhorrere iam supra monui. Eorum quae a Ps. Call. ducta esse huius ipsius verbis demonstrari potest, sunt haec:

Cap. 112. depromptum ex Ps. Call. III, 11, cuius in cod. A (vid. Muell. p. 99. not. 12) verba, prorsus omissa ab Iul. Val., hic apponam:

„*Ὑπετάξατο δὲ ὁ Ἀλέξ. καὶ τοὺς τῶν λοιπῶν τόπους τῆς Ἰνδικῆς βασιλείας, ἐχειρώσατο δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ Πανσαρίου Ἰνδούς. Ἰδὼν δὲ καὶ Ἄόρνην καλουμένην ἔχουσαν τὸ ὕψος ς΄ καὶ ἐχτάδιον* [Muell.: l. *ὕψος ἑνδεκα σταδίων*. V. Arr. IV, 28“] *Ἄόρνην λεγομένην διὰ τὸ μηδὲ ὀρνέοις ἐπιβατὴν εἶναι. Ἐπὶ τὴν Ἄόρνην ταύτην ..... Εἶλεν* [cod. *εἶδεν*.] *δὲ ὁ Ἀλέξανδρος αὐτὴν τρόπῳ τοιῷδε. Ἐκελεύσατο κατασκευασθῆναι πασσάλους σιδηροῦς καὶ τούτους ἐμπεσθῆναι* [Muell. „*ἐμπαγῆναι?*“] *εἰς τοὺς χρημνοὺς δι' ὧν ἀναβαίνοντες οἱ Μακεδόνες..... ἰσχυρὰν κατάληψιν τὴν πέτραν.*‘,

„Pecanum“ nomen quid in Itin. sibi velit non liquet; nullum enim tale vel simile nomen usquam occurrit, nisi eximas Diodorum, qui XVII, 102 praeter Musicani regis regionem etiam Porticani regnum commemorat: nec scio an v. „Porticani“ delituerit in „Pecanum,“ et fortasse etiam in Pseud. Coll.: „*Πανσαν-ίου*, quamquam, quod Car. Muell. introd. p. XIV eius loco suppossuit, *Μουσικάνου* non ita displicet. Sed intercedit alia praeterea differentia inter Itin. et Ps. Call. Gentes enim appellantur Pecanes et Musicanes, quae fuisse videntur appellationes regum. Cuius rei in causam inquirenti innotuit mihi unus locus Curtii IX, 8 in., ubi gens „Musicani“ nominantur: „itaque oppido ibi condito, quod Alexandriam appellari iusserat, fines eorum qui Musicani appellantur, intravit.“ In medio tamen relinquendum videtur, utrum etiam in Ps. Call tale quid fuerit, an aliunde ille Itinerarii locus translatus sit, quoniam apud omnes solius Musicani regis mentio fit: cf. Onesicr. ap. Strab. XV. p. 701 et 710. Aristob. ap. Strab. XV, p. 694. Arrian. VI, 15, 5 sqq. 16, 3 sqq. 17, 1 sqq. Ceterum omnino quispiam dubitare possit, num hoc Itin. caput 112 ab eodem auctore profectum sit, a quo totum Itinerarium est conditum.

Nam Aorni petrae expugnatio iam cap. 108, suppresso quidem Aorni nomine, descripta est ex Arriano (IV, 28, 1 sqq.), qui his utitur verbis: *ἀπολιπόντες τὰς πόλεις ξύμπαντες ἔφευγον* (sc. *οἱ βάρβαροι*) *ἐς τὴν πέτραν τὴν ἐν τῇ χώρᾳ τὴν Ἄορνον καλουμένην* et quae sqq., quae Itin. cap. 107 ex. in linguam latinam sunt versa. Ac vix credibile videtur auctorem tam hebeti et obtuso animo fuisse, ut illic de eadem re actum esse non sentiret, praesertim quum Ps. Call. partim talia ex Arriano in suam descriptionem receperit, quae in Itin. cap. 100 obviam sunt. Arrian. enim IV, 10, 1 de Sogdiana petra expugnanda haec scripsit: „*Ξυνταξάμενοι δὴ ὅσοι πετροβατεῖν .... μεμελετήκεσαν, ἐς τριακοσίους τὸν ἀριθμὸν καὶ πασσάλους μικρούς σιδηροῦς, αἷς αἱ σκηναὶ καταπεπήγεσαν αὐτοῖς, παρασκευασαντες, τοῦ καταπιγνύναι αὐτοὺς ἔς τε τὴν χιόνα ὅπου πεπηγυῖα φανείη* sqq. Haec interpretatus erat Auctor ita: „Reperti omnes quadringenti viri, qui patravere rem in hunc modum. Paxillos ferreos, quibus pelles intendunt, ... mutuo innixi figebant[52]): eisque subvecti paulatim evadunt.“ Ista quam mirifice his respondeant, quae tractamus, ipse vides[53]), cui eodem tempore perspectum fuerit, unde illud sit exortum, quod Itin. 112 petrae „proceritudo esse stadii quadrigenti“ dicitur tam contra omnem rationem quam contra Ps. Call. auctoritatem, cuius depravatum locum (*τὸ ὕψος ἑ καὶ ἐχτάδιον*) Muell. haud dubie recte ex Arr. emendavit. His igitur omnibus ad calculum revocatis possit quis in opinionem induci spurium esse et suppositicium illud caput totum, tot tantisque indiciis suspectum; sed vereor, si ita quis statuat, ne simul reliqua Itinerarii capita abiicere cogatur, quae indidem atque illud originem habent, videlicet ex. Ps. Callisthenis recensione ei quam cod. A exhibet, simili. Quare invita Minerva auctorem scripsisse malim arbitrari, quam culpam isto modo temeritatis contrahere.

Iam ut transeam ad cap. 113, quae ibi leguntur, multo pressius codicis A verba exprimunt, quam quae a Iul. Val. redduntur. Adscribam igitur quae huc spectant e Ps. Call. III., 1, pag. 94, not. 1 et 3:

διοδεύσας τόπους φαραγγώδεις νάπας τε ἔκαμε μετὰ τῶν στρατευμάτων. ὥστε τοὺς ἐξάρχους αὐτῶν λέγειν. Ἀρκετῶς ἔχομεν μέχρι Περσῶν ποιήσασθαι τὸν πόλεμον .... τί μὲν μέχρι Περσῶν πορευόμενοι πρὸς Ἰνδοὺς εἰς θηριώδεις τόπους καὶ ἄρτι κάμνομεν πορευόμενοι πρὸς Ἰνδοὺς εἰς θηριώδεις τόπους καὶ μὴ προσήκοντας τῇ Ἑλλάδι; ..... Πίπτοντες δὲ ἐπὶ τὸ μὴ προσήκοντας τῇ Ἑλλάδι; ..... Πίπτοντες δὲ ἐπὶ τὸ ἔδαφος ὠδύροντο, τά τε ὅπλα ἐδείκνυον τεθραυσμένα καὶ δεδαπανημένα ἐσθῆτάς τε τετριμμένας ἡμφιεσμένας. δώδεκα γὰρ

[52]) Sic scribendum censeo pro illo quod edd. exh.: „paxillis ferreis ... innixi fiebant. vid. infra.

[53]) cf. Itin. 100: „paxillos ferreos — figebant“ et cap. 112: „fixu vectium.“ tum cap. 108 „ruscularum“ et cap. 112: „cultoribus.“

ἔτη διανύσντα τοῖς πολέμοις καθηριθμοῦντο (scr. *κατηρ*), *οἱ μὲν ἀδελφοὺς ἀπολωλότες, οἱ δὲ υἱοὺς, οἱ δὲ πατέρας* et quae seqq.

Huc etiam referenda sunt haec. (Muell. pag. 95, not. 23): *ἐπέτρεψεν δὲ τοῖς γεγηρακόσιν ἀπιέναι ἀποπεμψάμενος αὐτούς. ἀπέστειλε δὲ τοῖς Ἕλλησιν ὅπως ἀκμαζόντων ἀνδρῶν στρατὸν πέμψωσιν αὐτῷ.*

Haec aut ad verbum fere[54]) aut paulo licentius in Itinerario latine sunt scripta, desiderantur vero ap. Iul. Val. Iam quum apud Arrianum tantum non omnia similiter exponantur (cf. Arr. V., 25, 2; 27. 5. 6; 28, 2), Arrianus semina narrationis praebuisse videri potest, ita quidem Ps. Callistheneae historiae insita, ut prae immutatis et affictis aegre agnoscantur. Arrianus enim nihil de „*ἐξάρχοις*“ i. e. „primatibus,“ nihil de „*δώδεκα ἔτεσιν*“ i. e. „annis XII.,[55]) nihil denique de exercitu recentibus copiis integrato litteris mandavit, quae omnia vix dubium est quin sint commenticia et falsa.

Quod sequitur cap. 114 de navigatione in Oceanum facta apud Ps. Call. et Iul, Val. non quidem reperitur, sed, si coniecturae indulgere licet, quondam exstitisse, interceptum autem nescio quo tempore esse videtur. Nam etiam cap. 115 et 116 et seq. indidem radices egerunt. Si nihilominus a mea parte stare nolis, Arrianus et Curtius tibi in promptu erunt, quorum alteri narrationem deberi opineris (vid. Arr. VI., 1, 1; 4, 4; 5, 3; 2. 3. Curt. IX., 9, 10. Plut. Alex. 66. Diod. XVII., 97), quamquam ego potius illine in Ps. Call. historiam atque hinc demum in nostrum Itinerarium transisse censuerim mutatam videlicet fabuloseque quodammodo exornatam. Utcunque est, in proximis dubitatio esse nequit, quin Auctor Ps. Call. libro usus sit, quandoquidem tanta est non solum cum Ps. Call. graecis verum etiam cum Iul. Val. latinis concordia, ut arctiorem quandam familiaritatem inter Ps. Call., Iul. Val., Itin. Auct. conciliatam esse evidentissimum sit. Conferas inter se

Itin. cap. 115 et 116 cum Ps. Call. III., 4 cod. A. (ap. Muell. p. 99, not. 12) et Iul. Val. secund. cod. Reg. Paris. 4880 (ap. Muell. Ps. Call. p. 120, not. (*), quorum utriusque verba quod iam a Car. Muell. ad Itin. c. 115 sunt apposita, ego exscribendi illa negotio nunc supersedeo. Ac si Itinerarii et codicis Reg. 4880 latina composueris, facere non poteris quin cum Muell. (Ps. Call. introd. p. XVIII., not. 1) codicis Reg. locum additamentum esse ex ipso Itinerario repetitum censeas, quum praesertim alio quoque loco

[54]) Quamobrem suspicor in Itin. c. 113 primo non „gentes bello idoneas“ sed „gentes Helladi idoneas“ fuisse; cf. Ps. Coll.: *θηριώδεις τόπους καὶ μὴ προσήκοντας τῇ Ἑλλάδι.*

[55]) cf. Diod. XVII., 94 in.: *ὑρῶν δὲ τοὺς στρατιώτας ... καταπεπονημένους καὶ σχεδὸν ὀκταετῆ χρόνον ἐν πόνοις καὶ κινδύνοις τεταλαιπωρηκότας ..*

Itinerarii quaedam sententia in margine eiusdem codicis adscripta deprehendatur. Nam Car. Muell. (Ps. Call. p. 48, not. (*)

„Hic, inquit, cod. Reg. 4880 ad marginem „ „ex alio auctore“ “ memorat Halicarnassi obsidionem regnumque Adae reginae redditum, cuius se filium dici Alex. passus sit.“

Ille enim „alius auctor,“ id quod iam Muell. vidit (Ps. Call. introd. p. XVII. col. alt. in.), nullus est nisi qui Itinerarium scripsit, in cuius cap. 24 legimus: „Fuit tamen Alexandro etiam Halicarnassi anceps bellum, quam obsidione vix coepit et diruit: propiciatus hinc post reginae, cui mox reddidit regnum eius urbis, ab eaque se filium dici dignantissime pactus est.“ Scribe autem „passus est“ pro „pactus est“ et propter cod. Reg. et Arriani 1., 23. 8 verba: *τὸ ὄνομα τοῦ παιδὸς οὐκ ἀπηξίωσε καὶ αὐτῇ ἄρχειν ἁπάσης* sc. *Καρίας ἔδωκε*[56]).

Pseudo-Callisthenis vero cum Itinerario consensus non est eiusmodi, ut singula verba et sententias sibi accurate respondere possis demonstrare. Quinimo in Itinerario non pauca insunt, quae desunt ap. Ps. Call., velut cap. 115 haec: „ipsum quoque multis desuper . . . retrudentibus“ et „scalas omnis suorum comminui,“ tum cap. 116: „perdius igitur . . . . agitabat“ et „qui foris rem agebant . . . . siquis irrueret“ et „suppetiatique in tempore“ et „facti denique mox ex indignatione saeviores;“ quae omnia etiam in latinis codicis Reg. 4880 desiderantur. Simul autem et in Itin. et in cod. Reg. expressa inveniuntur, quae frustra ap. Ps. Call. quaeruntur, haec: „cap. 115 „scalas pro muro praecelsas,“ „cum grandibus saxis desuper frangerent repugnantes,“ „Et quamvis scalas . . . . periclitaturum,“ „irruit tamen unus omnia hostium milia“ et cap. 116: „ni vergente iam die . . . occoepisset.“ Quae quum ita se habeant, integrius uberiusque multis locis Ps. Callisthenis exemplar, quam quale codice A. repraesentatur, Itin. Auctorem ad manum habuisse negari vix potest, quamquam singula etiam in nostro Ps. Call. libro inesse concedi oportet, quae in Itin. sunt omissa. Quinetiam in vetustissimo illo exemplari alium ordinem Itinerarii fortassis parem observatum fuisse dixerim ideo, quod quae in Ps. Call. narratiunculae quamvis inter se diversae ita conglutinatae sunt, ut altera alteram continuo excipiat, eae in Itin. quasi discerptae apparent. Quam vero presse Itin. Auctor auctores suos plerumque, ut vidimus, secutus est, tam crebrae sunt apud Pseud. Call. in diversis codicibus singulorum locorum transpositiones, quas Car. Muell. diligenter suo quamque loco notavit.

[56]) Paciscendi praeterea verbum nusquam, quod sciam, cum Acc. c. Inf. coniunctum occurrit, sed secum habere solet coniunctiones ut vel ne, aut nudum coniunctivum, sicut Itin. 94: „pactum fit nocte Antipatri conclave regis irruerent.“ Adde quod adverb. „dignantissime“ non convenit nisi patiendi verbo saepissime illi circumscripto adverbiis facile, facillime, moleste, libenter, indigne, aliis.

Quodsi ipsam rem examinemus, quae a Pseudo-Callisthene eiusque assecla narratur, Arriani VI., 11, 8 testimonio falsam esse docemur de Ptolemaeo famam, quum pugnae, quae illic describitur, non interfuerit. Exiit vero haec fama a Clitarcho (cf. Curt. IX., 5, 21) et propagata est a Timagene (Curt. ib.), Pausan. 1, 6, 2. Plut. d. Alex. fort. 2, 13 Ps. Call. et Itin. cf. Steph. Byz. s. v. *Ὀξυδράκαι*. St. Croix. p. 407. Droysen. Alex. p. 440. Car. Muell. praef. ad script. Alex. p. VI. et in Clit. p. 74 seq.

Transeo iam ad Itin. cap. 117, quod non minus quam antecedentia Ps. Call. auctoritatem resipit. Et prior quidem pars verbis respondet, quae ap. Ps. Call. cod. A. modo citata sequuntur (Muell. pag. 99):

„Οὕτως οὖν τῆς πόλεως παραληφθείσης παρήνουν τὸν Ἀλέξανδρον μὴ φιλονεικίαν δεινῶς ἔχειν μηδὲ παραβουλεύεσθαι.“

Altera vero componenda est cum Iul. Val. III., 80: At vero Alexander collecto exercitu iter ad Babyloniam convertit, in qua susceptus honoratissime[57]) et sacrificia diis immortalibus repraesentat“ et quae seq. Haec iam pridem in Ps. Call. interierunt. Nam „quum integrior ad nos pervenerit, ut ait Muell. introd. p. IX., et forma orationis nexuque sententiarum graecis nostris superior sit Valerius, saepenumero ad explenda quae in cod. A manca vel male contracta sunt adhiberi debet. Contra ab altera parte ex cod. A. supplendus est Valerius.“ Ac si ex Itinerarii verbis conclusionem facere licet, tum quae supersunt graeca Ps. Callisthenis ad nos neque integra pervenerunt et in varios centones dilacerata, quippe quum de Alexandro Babylonem reverso multas post nugas cap. 30 demum libri III. Ps. Call. mentio fiat — tum Iulii Valerii latina non tam limpido ex fonte sunt hausta quam Itinerarii. Nam sacrificia per septem dies[58]) celebrata Iul. Val. tacet, quamquam quin in Ps. Call. commemorata fuerint, dubium esse haud potest.

Potest vero dubitari, debeatne cap. 118 ad Ps. Call. historiam referri necne. Neque enim in ea neque in ceterorum scriptorum libris quidquam superest quod nobis indicio sit. Nimirum parum similitudinis cum nostris prae se ferunt, quae leguntur ap. Arr. VII, 24, 4. Diod. XVII, 117 ex. Curt. X, 4. Sed tota narratio qualis est in Itin. ita comparata est, ut multo illis inferior et indole et tempore habenda sit. Illorum vero, quae ap. Arr. l. l. et Ps. Call. III, 31 servata sunt, ratione habita non immerito suspicaberis Itinerarii partem, de qua disputatur, arctius quodammodo cum Ps. Call. copulatam fuisse. Quae enim ut fabulosa et ficta ab Arriano reprehenduntur castiganturque, ea omnia ap. Ps. Call. prolixe et

[57]) Similiter Diod. quoque XVII., 112; alii aliter.

[58]) cf. Plut. Alex. 67: *Ἀναλαβὼν οὖν ἐνταῦθα τὴν δύναμιν ἐξώρμησε κώμῳ χρώμενος ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ διὰ τῆς Καρμανίας* i. e. priusquam Alex. Babylonem perveniret.

fuse, parcius vero cautiusque in Itinerario sunt enarrata. Quodsi ex illis (Ps. Call.) iam nihil Itinerarium commune habet, id mirum non est, quoniam Ps. Call. illa pars conservata tantummodo in codd. B et C est, ab Itinerario alienissimis, codicis A autem magnam partem deperdita sunt verba[59]). Neque ego quid obstet video, quin evanida illa fuerint simillima Itinerarii, continuerintque etiam „Herculis scyphi“ mentionem, cuius nunc abest significatio in Ps. Call., exstat tamen ap. Diod. XVII, 117. Plut. Al. 75 med. cf. Senec. epist. 83. Et vero mihi meam opinionem approbare videntur extrema duo Itinerarii capita sine controversia ex Ps. Call. cod. A (Muell. p. 139, not. 1.) recepta, nova quidem specie induta, quum in cod. A sint in epistolae formam redacta. At non solum mirus est cum Ps. Call. concentus, verum etiam cum Iulii Valerii latina interpretatione, hic scilicet loci minime spuria et segreganda a reliquarum sententiarum nexu, sed genuina illa et ab omni suspicione defendenda, utquam omnes libri mss. tueantur. Quare duplex fieri potest conclusio, aut ut Iulius Valerius expilaverit Itinerarium, aut vice versa Itinerarii Auctor Valerium. Hoc alterum statuit V. D. Zacher. in comment. supra laud. p. 5 et 6[60]) ita ratiocinatus:

> „Ignoratur quidem ut ipsius Ps. Callisthenis ita Valerii et aetas et patria; sed deligenter inter se comparatis ultimis duobus quae supersunt Itinerarii Alexandri ab Angelo Maio editi capitibus et cap. 80 ad 82 libri tertii Valerii eo adducimur, ut Itinerarii auctorem Valerii libro (suspecto quidem sibi fonte) usum esse arbitremur: id quod clariore etiam luceret argumento, nisi Itinerarii finis esset deperditus.“

Qui autem e contrario concluserit novi neminem. Neque ego id facere volo, etsi Zacheri sententiae prorsus adstipulari haud ausim. Etenim quod Vir Doctissimus inde in sequentibus colligit, „Pseudo-Callisthenem ante annum 340 a Valerio in linguam latinam conversum esse,“ id quominus recte dictum esse putem, graves satis sunt causae et multae quae me impediunt, quaeque efficiunt, ut capita illa duo serioris temporis esse additamentum existimem incommode admodum nescio a quo ex Iulio Valerio adiectum. Cuius quidem sententiae argumenta sunt haec:

Primum nemo, puto, erit, qui quod post mortem Alexandri iam memoratam eiusque causam explicatam affingitur, quam languidum sit et frigidum non sentiat, neque intellegat, quam pro suo

[59]) cf. Car. Muell. Ps. Call. p. 146, not. 1: „Narrationem codicis A integram dare non possumus, quum initium eius in paginam incidat, ubi verba fere omnia prorsus sint obliterata.“ Quae dantur cf. cum Arr. VII., 27, 3.

[60]) cf. Car. Muell. introd. ad Ps. Call. p. XVIII., ubi nonnulla, mihi superioribus accuratius exposita, iam paucis perstricta sunt, quae suo quaeque loco ut citarem non ducebam necessarium.

auctorem ingenio satis habuisse consentaneum sit, eo narrationis usque processisse, ubi aptissime finiri non poterat sed debebat. Deinde quaecunque Itinerarii Auctor ex Ps. Callisthenis libro in usum suum convertit, quamvis sint a vero aliena fabulisque commaculata, tamen non tantum abhorrent ab sana quadam sobriaque ratione, quantum illa, quae in exitu Itinerarii sunt posita; quinetiam omnia fere illa fidei aliquam et veritatis speciem modo saepe fluxam et dubiam prae se ferunt. Tum vero ubicunque Auctor Ps. Callisthenis vestigia premit, propius quam Iulius Valerius[61]) ad recensionem codiciis A accedit, id quod hoc loco non est factum[62]), neque fieri potuit, idcirco, quod Iulii Valerii integra paene, aliis quidem subtractis, aliis immutatis, sunt exscripta[63]). Denique, quod videtur gravissimum, tota sermonis est talis conditio (vid. infra.), ut Iulium Valerium ineunte saeculo quarto vixisse veri dissimillimum sit.

Quas ob causas equidem Itinerarium cum cap. 118 finitum esse existimaverim aut si cui talis exitus nimis abruptus esse videatur, tamen quae nunc extremum locum tenent resecanda crediderim. Cuius vero generis fuerint, si qua quondam revera exstiterunt, quae de morte Alexandri narrationem exciperent atque ad rotundiorem finem perducerent, hanc quaestionem in medio relinquo.

Restat ut quae hucusque de industria omisi capita 110 et 111 unde ducta videantur paucis exponam. Ut iam monui cum cap. 110 Auctor, quem eatenus fideliter ne dicam serviliter secutus erat, Arrianum repente derelinquit, cuius de Anabasi priores quatuor

[61]) cf. Muell. introd. p. XVII; „alia recensio codici A, alia Valerio subest.“

[62]) Quae sic statuenti mihi repugnare videntur, sunt paucissima haec: Itin. c. 120 legimus: „Si quippe tituli . . . proceritudinis erant XII. cubitorum.“ Ps. Call.: τὸ μὲν ὕψος πηχῶν ιγ': Iul. Val.: quindecim . . Mihi videntur Itinerarii et Ps. Call. numeri ad Iul. Val. aptandi; ap. Ps. Call. scripum fuerit *IE'*, unde *IT'* natum, in Itin. vero XV. Deinde in eod. cap. „mille quingentis aureis“ itidem ut Ps. Call. χρυσοῖ (scr. χρυσοῖ) ᾱφ'; aliter Iul. Val.: „quingentis auri talentis opus fuit.“ Haec est sane maior differentia quam aegre removeas, sed est unica neque satis valida ad meam sententiam refellendam. Nam quam facile in numeris peccetur, exemplo est ipsius Ps. Call. locus de Herculis stelis: „ἦλθον ἐπὶ τὰς Ἡρακλέους στήλας ἐν ἡμέραις κδ'“: pro κάππα enim scribendum est κόππα: cf. Iul. Val.: „itinere dierum ferme nonaginta quinque,“ Itin.: „diebus nonaginta.“ Praeter ista multo accuratius Iul. Val. exprimit Ps. Callisthenem, quam Itin. male contracta narratio.

[63]) Apud utrumque „tituli“ dicuntur, quae sunt ap. Call. στῆλαι; deinde Iul. Val. „periculum eius rei facere non omisi,“ Itin.: ut eius periculum ipse rex fecerit;“ Iul. Val.: „tandem Thermodonti supervenimus flumini“ . . . Itin. „tandem Thermodonta amnem . . .;“ apud utrumque: „ad Herculis stelas;“ Iul. Val.: „Hinc ergo per deserta redeuntes multa praerupta eiusmodi incidimus loca,“ Itin.: „Verum exim. revertens praerupta per loca.“

Minus ergo recte Car. Muell. p. XVIII. ait: „Quae quidem (i. e. extrema Itinerarii verba) etiam propius quam latina Valerii accedunt ad ea „quae deinceps in cod. A leguntur.“

libros expilavit totos, tres vero reliquos ne inspexisse quidem se prodit. Nam qui fieri potuit, ut commenticias illas fabellas ab Arriano non semel vituperatas et correctas recoleret retractaretque? Iam vero extremam libelli partem manifesto consarcinatam cognovimus ex variis Pseudo-Callisthenis narratiunculis iisque vetustissimo libro exaratis, cuius mancae tantummodo multisque locis truncatae aetatem in eod. A tulerunt reliquiae. Quid igitur convenientius est, quid verisimilius, quam ut capp. 110 et 111 quoque indidem, unde insequentia, traducta esse arbitremur? Indoles utique et natura eorum talis est, qualis tota Ps. Call. historia cernitur. Omissa enim sunt omnia, quae genuinae atque singulari accurataque rerum cognitione cnatae historiae propria esse solent, nomina tanquam odiosa fere nulla ponuntur, descriptiones et Indiae terrae et proelii cum Poro rege commissi non minus laborant inani et rerum et verborum obscuritate, quam veritatis insolenti depravatione. Nova profecto atque inaudita sunt tam quae de Indiae finibus quam quae de mari Hippallo[64]) accipimus, puerilia vero et paene ridicula, quae in tam brevi expositione de bestiis feris legimus. Quae omnia cui aptius tribui possunt, quam fabulosae Ps. Call. historiae? Nam hoc quoque notandum est, quod indica Alexandri expeditio a tertio Ps. Call. libro initium capit (cf. Car. Muell. p. 81, not. 34 et p. 94 not. 1), ubi quae nunc deperdita sunt ap. Ps. Call, servata autem, siquid calleo, in Itinerario, locum habuisse videntur.

Quod si non sine aliqua probabilitate enucleatum esse mihi concedatur, vel adeo progredi haud vereor, — quamquam non ignoro quam facile ita in reprehensionem possim incidere — ut quidquid supra attuli tanquam e Diodoro, Plutarcho, aliis, depromptum, ipsum quoque Ps. Callistheni adscribam. Pluribus enim scriptoribus quam Arriano et Ps. Callisthene usum Itin. Auctorem esse persuadere aegre mihi possum, modo exceperis primam Itinerarii partem (capp. 12 sqq.), de qua nihil certi dici potest utpote a Ps. Callisthene (cf. I, 13) non minus, quam ab Arriano recedenti. Pseudo-Callistheni vero multam saepe fabulandi materiam praebuerunt aut illi ipsi, aut eorum auctores quorum praeter Marsyam, Charetem, Onesicritum, Megasthenem, alios[65]), celeberrimus fuit Clitarchus, mendaciorum ille faber, quem ut vel fautorum captaret benevolentiam, vel lectorum inserviret voluptati, omnium maxime historici munere abusum esse constat. Eius procul dubio non pauca commenta in Ps. Call. historiam transmigraverunt (cf. Ps. Call. III, 4., p. 99, not. 12, coll. c. Curt. IX, 5, 21. praeterea cf. Iul. Val.

[64]) Iam a Maio et Letronnio observatum est mare illud Hippallum nominatum esse ab Hippalo gubernatore qui primus „per altum navigavit," vid. Mai. p. 79, not. 2.

[65]) De Diodori fontt. vid. Heynii comment. in edit. Bipont. tom. I, p. 84 sq. . De Plutarchi vid. Falk. „Ueber den geschichtl. Werth von Plut. Lebensbeschr. Alex. d. Gr." Lauban. 1833. p. 8 sqq.

III, 80 cum Diod. XVII. 112. ex. imprimis Ps. Call. III. 27 cum Curt. X, 1 med. et Plut. 28, multaque alia), unde demum in Itinerarium transcripta fuerint. Et vero facile eius generis esse agnoscuntur quae supra tractavimus capita 97 et 79, tametsi iam ap. Ps. Call. desiderantur. Cetera autem quomodo cum eo conciliari possint, quoniam nunc parum vacat omnia persequi, mitto satis habens rem quasi digito tantum monstrasse, quam difficultatibus implicatam ea qua decet subtilitate expedire nunc nequeo.

Haec hactenus de fontibus, qui Itinerarii Auctori fuisse videntur. Esse vero eius generis iam videmus, ut nihil fere emolumenti ex Itinerario nobis redundet ad Alexandri historiam augendam et locupletandam, haud spernenda tamen auxilia nacti simus ad Pseudo-Callistheneae historiae vetustissimam formam indagandam et restituendam. Simul autem quum his quae disputavi Pseud. Call. vestigia in Itinerario inesse constet, hic illic deinde in Iulii Valerii, Ps. Call. interpretis, verba forte inciderimus, nonnunquam Itinerarii simillima, sua sponte nascitur quaestio, possitne aliqua utilitas pro nostro proposito percipi ex accurata Itinerarii et Iulii Valerii comparatione. Eam igitur instituam in altera huius libelli parte, ad quam iam transeamus.

Pars posterior.

I.

Ex quo V. D. Maius Itinerarium Alexandri Magni et Iulii Valerii historiam Alex. „ex Aesopo graece translatam" edidit, nemo adhuc accuratius neque in ipsorum Auctorum personas inquisivit neque in libellorum aetatem, aut, si quis fecit, paucis verbis iisque saepe inconsideratis rem absolvi posse arbitratus est. Ut enim Itinerarii Auctor ignotus est, quum nullus veterum scriptor sive ipsius libelli sive nominis, quod Auctori erat, mentionem fecerit, ita etiamnunc ignoratur non solum, quisnam fuerit ille qui librum graecum condidit — nam quibus opus tribuitur, Callisthenes, Aristoteles, Ptolemaeus, Aesopus, commenticia sunt nomina (cf. Muell. introd. p, XXVI. sq.), — verum etiam quis sit qui delituerit sub nomine Iulii Valerii. Videlicet et ipsum fictum hoc nomen esse Viri Docti suspicantur. Recte quidem, ut mihi videtur. Frequentia enim sunt et vulgaria sequioris aetatis nomina subditicia, quemadmodum quae circumferuntur Daretis Phrygii, Dictyis Cretensis, Aethici sive Ethici Istri, aliorum opera, primum graeca, ut narratur et postea a Cornelio Nepote, Septimio, Hieronymo, aliis, in linguam latinam translata, temere inventa sunt et mendacia, ut, si quis est hodie, qui

illa credat esse vera et fide digna, iure rideatur[66]). Sed quamvis non minimi momenti esset quum Iulii Valerii veram personam tum Itin. Auctoris nomen explorasse, (vereor tamen ne id nunquam fieri possit), tamen plus effecisse mihi videbitur, qui aliquid certi de aetate Iulii Valerii protulerit. Nam quid inde sequatur deinceps videbimus. Quare ego quoque, quum frustra tempus et laborem dispiciendo aliquo vel tenuissimo Itin. Auctoris vestigio consumpsissem, ad alteram quaestionem peraeque difficilem et spinosam me converti. Nimirum etiam quae Maius in altera Itinerarii editione (Class. Auct. tom. VII., not. 1 ad cap. 1) proposuerat varia nomina auctorum, quibus fortasse Itinerarium tribui posset, fere nihili esse intellexi, quum nihil de iis omnino compertum habeamus. Iam si quid ex tam levibus indiciis quae Maio satisfaciebant elici posset, ego quoque promere possem aliquam de auctore coniecturam, dubiam sane admodam et fluxam. Quum enim forte incidissem in locum Socrat. hist. eccl. III, 23 ap. Muell. Ps. Call. introd. p. XXI. adnotatum, ubi Libanius sophista ideo vituperatur, quod quum Christum „et deum et dei filium“ esse negaverit, tamen multis hominibus, velut Alexandro, Cleomedi pugili, Antinoo, Porphyrio divinitatem recte tributam esse censeat. Ibi autem praeter alia leguntur haec: *καὶ ταῦτα γέλωτα καὶ φλύαρον οὐκ ὀνομάζει Λιβάνιος, καίτοι καὶ τοὺς χρησμοὺς* (sc. ante citatos)*καὶ τὸ μονόβιβλον ὃ Ἀδρίας* (*Ἀνδρίας* cod. Flor. *Ἀλεξανδρεῖς* Nicephor. IX, 4) *εἰς τὸν Ἀλεξάνδρου βίον ἐπέγραψεν, ἐπιστάμενος· οὐδὲ ἐγκαλύπτεται καὶ αὐτὸν ἀποθεῶν τὸν Πορφύριον κτλ.*“ a Musculo interprete sic reddita: „Et haec ridicula et nugamenta Libanius non recenset et quanquam oracula et Monobiblon, quod Adrias de vita Alexandri scripsit, sciret, tamen etiam ipsi Porphyrio divinitatem tribuere non erubuit.“ Quum igitur in hunc locum incidissem, Itinerarii nostri Auctorem invenisse tunc mihi videbar. Aetas enim, qua Libanius florebat, plane quadrat in illam, qua Itinerarium conditum est, quando apud eundem Socratem paulo ante de eodem Libanio sermo in hunc modum est: „Nam et Constantium cum viveret scribendo laudavit; in mortuum vero convicia criminibus referta effudit,“ caduntque etiam antecedentia verba magnam partem in Itinerarium (cf. capp. 12. 33. 53). Quamobrem quem Socrates dicit Libanio notum esse oportuisse „monobiblon,“ mihi Itinerarium esse posse in mentem venit, quisquis fuit ille Adrias vel Andrias (cf. Muell. l. l.). Ad Hadrianum certe referendus mihi non videbatur ille libellus, id quod fecerunt Langius ad Niceph. l. l. et Ste. Croix. Exam. crit. p. p. 162 not., quamquam Alexandreidem eum, poema amplissimum, composuisse constat, quippe cuius

[66]) cf. Aethic. Istr. ed. Wuttke et „die Aechtheit des Aethikus“ eiusd. Quae ap. Aethic. de Alex. M. narrantur, infimi videntur esse temporis.

carminis ap. Steph. Byz. (cf. St. Croix. l. l. et Muell. introd. p. XXIV., not. 3.) et liber primus et septimus diserte citentur[67]), unde sequitur, ut non *μονόβιβλος* sed plures libros complexum carmen fuerit. Neque de Ps. Callisthene cogitari posse Muell. recte statuere videtur, quamquam mea quidem sententia verba „*καίτοι καὶ τοὺς χρησμοὺς καὶ τὸ μονόβιβλον κτλ.*“ minus recte interpretatus sic est: „Ista Libanius non censet ridicula esse, quanquam probe novit et oracula modo allata et libellum de vita Alexandri (in quo praeter citatum oraculum etiam alia eiusdem in regem adulationis documenta auctor exhibuerit).“ Citatum enim oraculum in illo monobiblo fuisse exhibitum ex Socratis verbis minime sequitur.

At vero, ne longius a proposito meo digrediar, reiecta ista coniectura mea nullis fere argumentis probabili, ad ipsum Itinerarium Iuliumque Valerium, quod ad scribendi genus attinet, inter se comparandum procedamus, ut videamus, quid possit de alterius seu potius utriusque aetate erui. Nam quamquam de Itinerario nulla fere dubitatio relicta esse videtur, quin sit conscriptum intra annos 340 et 345 (cf. Letronn. in „Journ. des Savants“), tamen hanc, qua nos habemus, formam illi tempori parum convenire mox demonstrare conabor. De Valerii autem aetate inconstantia sunt adeoque inter se contraria virorum doctorum iudicia, ut quot capita, tot fere diversae exstent sententiae. Primus enim Maius praef. ad Iul. Val. p. 2 haec verba facit:

„Omissa graeci exemplaris quod periit mentione, si quis interpretis Iulii Valerii stilum et quasi formam considerabit, is hunc etiam latinum auctorem intra tertium aut quartum Christiani aevi saeculum prorsus continebit,“ et quae sqq.

Ad quam Maii sententiam proxime accedit Henr. Weismann. („Alexander, Ged. d. zwölft. Jahrh.“ tom. I, p. XXXV), neque multo aliter Zacher. libr. supra laud. p. 5: „Pseudo-Callisthenes ante annum 340 a Valerio in linguam latinam conversus esse videtur.“ (cf. supra.) Letronnius vero in „Journ. de Sav. 1818, p. 620:

„S'il est vrai, inquit, (et nous en doutons à peine) que la version de Iulius Valerius soit une traduction libre de l'ouvrage grec, traduction surchargée, comme nous l'avons vu, de quelques circonstances étrangères, il faut bien que cette traduction soit elle-même, non pas, comme l'a cru M. Mai. un ouvrage assez ancien, mais la production pseudonyme de quelque traducteur obscur du moyen âge. Il faut convenir que le style, quoiqu'en dise M. Mai, est presque partout d'une étrangeté très propre à corroborer cette opinion.“

Audiamus denique Car. Muelleri (introd. ad Ps. Call. p. XXVI) opinionem:

[67]) Steph. Byz.: *Ἀστραία, πόλις Ἰλλυρίας . Ἀδριανὸς Ἀλεξανδρειάδος ά* . Idem: *Σαυσία, πόλις Ἰνδικὴ ὡς Ἀδριανὸς Ἀλεξανδρειάδος ἑβδόμῳ.*

„Initio seculi quinti Armenius, sive Moses sive alius fuerit, Pseudo-Callisthenem fecisse Armenicum statuitur. Circa eadem fere tempora conditam puto Valerii versionem latinam.“

Inter tot tantasque sententiarum discrepantias easque apud doctissimas celeberrimosque viros difficile est negotium atque arduum, non dicam periculosum, in certamen ipsum quoque descendere atque propria ratiocinandi via incedentem, quoad eius fieri potest, proprium suum iudicium facere publiceque profiteri. Neque ego id efficere potero, ut rem ad finem perducam prorsusque certis argumentis hoc vel illo tempore Iulium Valerium scripsisse demonstrem —, id enim in talibus, qua sunt obscuritate, fieri nequit — sed hoc tantummodo evincere studebo, quarto dumtaxat saeculo neque Iulium Valerium neque Itinerarium posse tribui. Ac si cui id persuadere in animo habeo, primum arctiorem quandam inter Itin. Auctorem et Iul. Valerium societatem exsistere argumentis ostendere debeo, quae quidem non nisi ex utriusque scribendi genere sunt petenda. Et vero haud exiguae sunt inter eos scribendi similitudines, neque raro tam singulares et apertae, sive singulas voces, sive verborum structuram et usum respicis, ut nonnunquam obstupefactus fere haereas dubitesque, num omnino Auctor Itinerarii et Iulius Valerius diversi fuerint homines. Quod iam exemplis probandum est.

Ac primum quidem uterque multus est in Archaismis, quos vocant, adhibendis, quibus antiquitatis captatores vel simulatores id agunt, ut oratio fuco quasi antiquo oblita vetustatis speciem prae se ferat, a qua revera plurimum distat. Eius generis sunt:

mavelit: Itin. 40. Iul. Val. III, 19[68]); mavolunt: Itin. cap. 57; mavelis Iul. Val. III, 62 et 73. cf. etiam: malebit ap. Iul. Val. III, 93. posivere Itin. 3. porgi i. e. porrigi Itin. 22.

fuant Itin. 110 et Iul. Val. III, 71. fuam Iul. Val. III, 65. repedare Itin. c. 26. 103 et Iul. Val. I, 9 (Muell.) III, 3. 10. 27. 66. 83. cf. Cellar. d. barbar. p. 168.

interturbare Itin. 54 et Iul. Val. I, 13 (Muell.)

obnuntiare Itin. 65. III. cf. cum obfirmare ap. Iul. Val. I, 39. 60.

pausa Itin. 43 et Iul. Val. II, 3.

virtutium (de hac Genit. forma cf. Reisig. schol. p. 95.) Itin. III. et Iul. Val. II, 28 (ubi Muell. virtutum); cf. laudium Itin. 119.

ipsus (i. e. ipse) Itin. 44 (cod. ipsius) et Iul. I, 2; Genit. ipsi ap. Iul. Val. II, 14 (Muell.) cf. Prisc. 6, 694.

quis pro quibus Itin. 73, 93. 97. et Iul. Val. 1, 38, III, 3. 39. cf. Zumpt. gr. l. § 133 adn. extr.

tete pro te Itin. 3 et Iul. Val. I, 57. II, 13 (Muell.) cf. tute i. e. tu ap. Iul. Val. I, 47.

[68]) Numeros secund. Maii ed. Francof. ponam. Quae ibi ex Valerio desunt ex ed. Muell. citabo, hoc nomine apposito.

donicum pro donec Itin. 50. 100. et Iul. Val. I, 6. II, 34. mage pro magis Itin. III. Iul. Val. I, 55. II, 8. 11. 13. 29. II, 15 (Muell.) III, 20. 60.

Praeter haec alia multa usurpata apud utrumque sunt obsoleta et abolita verba, de quibus etsi omnia huc referri possunt, infra.

In particulis deinde insolenter et inusitate usurpandis cocunt item Itin. Auctor et Iul. Valerius:

una praepositionis loco cum Ablativo casu coniungitur: Itin. 28. 40. 42. 56. 57. 64. 65. (bis) 68. 69. 73. 76. 90. 98. 100. 104. 105. 115. cf. Haa·ii Miscell. phil. lib. II, cap. 6, p. 28. Ap. Iul. Val. I, 53: unaque his I, 55: una servitiis pecuisque. I, 56: una exercitu. I, 58 (in carmine): Unaque metis-Phaetonteis. II, 20: una legatis. III, 9: unaque his. III, 31: una elephantis et bucriis. III, 40: una Theodecto Diiphiloque. III, 83: una scilicet equis atque insessore aureo laboratus. [Cf. praeterea Iul. Val. I, 10 (Muell.) Philippus una metu unaque admiratione discedit. et II, 19; una viris unaque his omnibus-opulens.]

Parcior tamen quam Iul. Val. est Itin. Auctor in vetustiori illo usu praepositionis „cum“ ad „una“ adiiciendae. Nam tantummodo bis adhibuit: cap. 26: ‚una cum exercitu repedans“ et cap. 103 „una cum insidiatoribus.“ Multo saepius Iul. Val. I, 12 ex. (Muell.) I, 13 (Muell.) I, 14 in. (Muell.) I, 4. 9 13. 36. 48. 54. 55. II, 14. 17. 21. 31. 10 (Muell.). 12 (Muell.) bis. 17 (Muell.) 33. bis. 46. 44. III, 9. 11. 23. 25. 26. 45. 49 (ter.) 58. 66. 67. 81. 86. 90. 91. 96. — Semel Iul. Val. Dativum subiecit: II, 26 una sibi.

„in“ praepositio vice v. circa vel circiter fungitur: Itin. 33; cuius DC milia bellatorum in parte vigesima numerabantur. 56: Erantque eis numerus in XL equitum milibus. 80: „qui in triginta haud minus milibus . . . obversari decreverant.“ [Semel positum est ad simili loco: c. 38: „Darius tamen collectis ex fuga ferme ad IV. milibus equitum“]. Iul. Val. I, 15 auxiliaque diversa in octo milibus. I, 55: sed vulneratorum numerum (al. hominum) in duobus milibus exstitisse. III, 81: crassitudo . . . in cubitis duobus. — Pariter in cum Accus. Iul. Val. II, 16 (Muell.): „Qui cum omnes in centum et viginti millia numerarentur.“ [Bis obviam est ad: III, 29: arundinibus, quae ad triginta cubitorum spatia supercrescerent, et III; 47: ad decem numerum]. Ceterum cf. Hand. Tursell. III, p. 343, ubi citatur Liv. I, 43, 5: tertiae classis in quinquaginta millium censum esse volunt.

Hic ponam etiam haec duo exempla: Itin. 57: in Gausamelis et Iul. Val. II, 34: in Ecbatanis.

ad persaepe ab utroque similem in modum frequentatur: Itin. 56: ad futura praedoctis. Iul. Val. I, 18: ad haec doctus. — Itin. 25: „conscientia opinatur ad sui meritum“ et 65: „universi ad

meritum recepti.“ Iul. Val. II, 17 (Muell.): ut — desiderati vallo sepulcri ad meritum decorarentur. —

Praeterea cf. Itin. 30: specimen . . . ad amicitiam memorabile. 52: ad nivem gelidi. 95: ad reliqua . . divites. 115: ad appetentias rigido et indomito animo. et Iul. Val. I, 13 (Muell.): ad similitudinem congruus. [ibid.: ad omnes litteras peritus] I, 53 ad elementum eius molliores. III, 34: ad humani victus valentiam saevae sunt; III, 38: loquacia ad humanum modum. III, 44: satis incliti ad laborem; III, 54: ad auri gratiam colorata. — etc.

merito pro praepositione usurpatur (cf. Haasii Miscell. l. I, p. 23). Itin. 12. 40. 83. 101. 105 (bis) 111.: merito virtutium. et Iul. Val. II, 44: virtutum scilicet et sapientiae merito. [cf. Itin. 102: eodem merito i. e. eandem ob causam].

Refero huc etiam

iuxtim in Itin. praepositionis instar pro iuxta: c. 57: iuxtim Bumelum (cod. iunctum, unde editores male iuxta fecerunt, quod alienum est ab Itin.) c. 110: iuxtim haec. [120: iuxtim se viantes] ap. Iul. Val. adverbii loco adhibitum: I, 20. 27. 34. 50. III, 86. Sed iuxta exstat. Iul. Val. I, 5 (Muell.) et I, 56.: iuxta Euphraten.

vel particula sic ut et admittitur:

Itin. c. 28: una clypeo loricaque vel telo cum casside. c 37: visa arma Darii vel currus opinionem caesi regis adferebant. Iul. Val. praeter locos ap. Haas. Misc. lib. II, p. 27 adn. citatos: I, 46: corpore vel spiritus (Ps. Call.: *καὶ*). III, 31: albi colore vel rufi (Ps. Call.: *οἱ μὲν λευκοὶ οἱ δὲ πυρροί*) ibid: vel apri vel pardi (Ps. Call. *καὶ-καὶ*) III, 57: purpureaque texta vel gemmas. [cf. III, 44: ad firmitudinem vel decorem].

tamen ponitur ubi autem veteres ponere solent, quod Maius saepe sine causa intulit; cf. Haas. l. modo l.

Itin. 15: multus ad imperia difficultatum, onerosior tamen sqq. 38: Darius tamen . . . (Arrian.: *Δαρεῖος δὲ . . .*) 42: Tyrum tamen[69]) veniens (Arrian.: *Ἐντεῦθεν δὲ προϊὼν ὡς ἐπὶ Τύρου*). 64: Darium quidem nullum videt . . . opes tamen retrahit. 65 in: Darius tamen . . . 71: Interim tamen Mardos excurrit (Arrian.: III, 24, 1: *Αὐτὸς δὲ προῆγεν ὡς ἐπὶ Μάρδους*) cf. 80. 86. 88. 93. 98. 100. 113. et 42 med. — et Iul. Val. I, 9. 20 (bis) 23. 28. 29. 48. 53. 56. 57. 59. II, 17. 27. 40. 45. III, 34. 36. 42. 57. 78. 83 (bis) 90. 98., saepius. Omnibus his locis Maius contra codicis auctoritatem scripsit autem, cf. eius adn. II, p. 128.

Peculiaris etiam apud utrumque est usus particulae enim, primum sententiae locum tenentis. Duplici autem seu potius triplici modo, quod eius vim attinet, adhibetur:

[69]) Ita cod.; sed editores sine causa mutaverunt in tandem.

aut enim ponitur plane eodem modo, quo particula nam apud Gregor. Turon. (vid. Haasii edit. Greg. Turon. de cursu stell. sqq. Vratisl, 1853. p. 32) „in re nova ac diversa adiungenda, fere ut vero.“

Is usus paulo rarior est in Itinerario, cuius habes duos locos; c. 80: „Enim mox Alexandro ingruente ad montium celsiora concrepant.“ et c. 118: „Enim cum forte apud Medium convivarent“ sqq. — frequentissimus vero est ap. Iul. Val. I, 14 (Muell.): Enim non una sedulitas . . . I, 15 (Muell.). Enim Philippus . . . I, 3. Enim tunc Alex. . . . . cf. I, 6. 34 (in carmine) 50. 52. II. 2. 5. 7. 21. 23. II. 9 (Muell). II, 16. 17. 18. (Muell.). II, 33. 38, 46. III, 29. 46. 54.

In graecis, e quibus illa manaverunt, habes modo *δ.*; cf. Arr. III, 30, 10 cum Itin. 80; (ad Itin. 118 graeca desunt), modo *ἀλλά* (Iul. Val. I, 34 vers. 33 coll. c. Ps. Call. I, 33 vers. 31), modo *οὖν* (Iul. Val. I, 14 et II, 19 ed. Muell. iisd. loc.) modo *μὲν* Iul. Val. II, 5 cum Ps. Call. II, 1.). A ceteris Iulii Valerii locis graeca Ps. Callisthenis sive aliquantulum discrepant, sive desunt.

aut collocatur post sententias vel notiones quas dicunt negativas, ut idem fere valeat, quod alioquin semper particula sed:

Itin. 65: incolae cultu nil tristi, enim laeticiae simulamento. Iul. Val. I, 17 (Muell.) nihil increpans ad formidinem pristinam, enim mite aliquid et mansuetum. I, 37: non seniorem, enim iuniorem. III, 87: non enim caninis capitibus lupinisve, enim leoninis . . cf. I, 44. 60, (bis ita). II, 14. III, 21. et fortasse III, 46: neque vos in Aegyptum militare neque . . . commoveri, enim si quis . . .

In graecis subest semper fere *ἀλλά*; cf. Ps. Call. I, 34: *οὐ γηράσκων ἀλλὰ νεάζων*. I, 15: *οὐχ ὡς πρὸς βασιλέα ἀλλ' ὡς πρὸς ἀρχιληστήν*. I, 43 *ἀλλὰ δεδοικότες* et quae seqq.

[Usitata autem collocatio est ap. Iul. Val. I, 20: „Hormo enim polis non Hermopolis dicta est;“ i. e. „non Hermopolis, enim Hormo p. d. e.“]

aut denique propriam suam explicandi significationem retinuit, id quod rarissimum et fere anceps est, ubi primum in sententia locum occupat, velut

Itin. 95: Enim arcus Abiis sqq. Iul. Val. II, 8 (Muell.). Parmenion quidam e ducibus regis, enim infestus Philippo medico . . . III, 36: Neque id breve aut transitorium fuit. Enim diebus fere V . . .

In his enim interpretari particulam licet per vero sicut in superioribus. Ubi vero aliam vocem excipit, aperte inservit argumentandi vel explicandi rationi:

cf. Itin. 7 Neque enim . . 37 in utroque enim . . 70: Sic enim . . . 77: Quod enim . . 83 Acriter enim . . . Iul. Val.; Neque enim: I, 1. 42. 56. II, 11. 28. 41. 46. — non enim: I, 2. 40

ex. 42. ex. 65. II, 8. 14. III, 4. 15. 52. Praeterea cf. I, 6. 7. 8. 9. 12. 39. 40. et in ceteris saepissime.

Singularis vero ac fortasse corruptus locus est ap. Iul. Val. I, 13: „Hi, quibus turpe erat servientibus non subvenire, enim nunc etiam ipsi servimus.“ Scribi enim debebat: „Hi enim, quibus . . .“

Ut „enim“ particula postposita, ita etiam nam sive namque praeposita Itin. Auctor et Iul. Valer. utuntur causae alicuius explicandae gratia.

cf. Itin. 22. 44. 95. Iul. Val.: nam II, 37 ex. 44. III, 23. 38. 45. 69. 77. 86; namque III, 51, 59, 86. cf. praeterea I, 2. 3. 43. III, 9. 24. 54. 59. —

Quibus subiungenda sunt exempla, ubi etenim eandem vicem sustinet. cf. Itin. 13 et Iul. Val. I. 7. II, 8. 21. 26. 38. III, 17. 22. — Corruptus vero locus esse videtur Itin. c. 11 ex.: „Etenim ne tibi . . . ultra obloquar.“ Propter sententiam enim requiritur Enim, secundum primi generis exempla, aut Atenim. Et vero ap. Iul. Val. I, 65 in. eadem depravatio cernitur. Ibi in cod. est scriptum: „. . disceptare. Etenim ,,“ Pro „disceptare“ autem cum editoribus restituendum est „disceptaret,“ syllaba — et ex insequenti voce revocata, quo facto non Etenim, quod in edd. est, sed Enim pro vera scriptura superest. —

Praeter „Enim“ particulae „At enim“ et „Sed enim“ adversandi vim habent: At enim in his:

Itin. 38. 58. 59. 109. Iul. Val. I, 40. II, 27. 33. III, 82. Sed enim: Itin. 2. 19. 27. 36. 45. 47. 49. 71. 76. 91. 99. 106 (bis) 110. Iul. Val. I, 9. in. 14. in. 20. 54. II, 17. 24. 27. 42. III, 15, 28, 42. 49. 51. 54. 55. 56. 60. 67. 81. 82. 83. 89. 93.

Enimvero dein particulae usus proxime saepe accedit ad part. enim, ubi vicem particulae vero obtinet, non ita crebro in Itin., sed frequentissime ap. Iul. Val. Itin. 54: Enimvero ipse . . . Tyrum redit. 66: Enimvero . . tunc Uxiis supervenit. 74; Enimvero in hos ducibus immissis ipse Caucasum tendit (Arr. III, 28, 2: *Μαθὼν δὲ . . . ἀποστέλλει* cf. § 4: *Ἐν τούτῳ δὲ . .*) 91: „Enimvero Clitus . . .“ Illatum a Maio enimvero est cap. 1. ex., qui locus in cod. habet sic: „quodque id $\overline{\text{mm}}$ velle enim id et exigit,“ mendis implicatior, quam quem ego expedire possim. — Iul. Val. I, 2. 3. 10. 12. 13. 18. 35. 38 (Ps. Call. *ἀλλά*). 48. 51. (Ps. Call. *ἀλλά*). 54. 61. 63. II, 3. 10. 11. 14. 18. 22. 24. 36. 43. III, 2, 5. 9. 10. 12. 14. 19. (Ps. Call. *ὁ δέ*). 23. 35. 37. 38. 44. 54. 59. 65. 68. 71. 75. 83. 85. 87. 90. 92.

Apud Iul. Val. enimvero etiam post negationes sicut simplex enim usurpatur, in Itinerario tamen non item:

Iul. Val. I, 38: non ut opibus . . . pareretur, enimvero ut extruendae urbis foret substantia largior. II, 11: non bello, non telis, enimvero lue corruptas et fame. [quae II, 16. sic sunt expressa: „non ab illo victos, sed fame lueque superatos“]. II, 29:

nihilum omnium cunctabundus aut differens: enimvero labore praesenti semper consilia subsecutus. II, 30: non Babyloniis . . . enimvero armanda tum Bactra. III, 41: non de externis, enimvero de comitibus (cf. Muell.).

cf. etiam II, 1: urbem quidem illam operis maximi populique, enimvero religioni intentam Proserpinae deae. III, 16: aditibus perangusta, enimvero subter capacibus spaciata.

Exim deinde constanter scribitur, non exin, in Itinerario, saepe ap. Iul. Val., cui quidem etiam exin proprium est, fortasse librariorum culpa; cf. Mai. adn. a., ad I, 3 p. 112. Vid. Iul. Val. I, 34 (in carmine). 36. 38. 53. 57. 58. II, 14. III, 23. 28. 30. 69. 71. 83.

Adverbium „commodum“ habes Itin. 57 et Iul. Val. III, 49. „ex facili“ i. e. facile Itin. 6 et Iul. Val. III, 60. cf. Itin. 106. in facili. cf. indiscrete Itin. 37. et Iul. Val. I, 41.

Igitur particulae apud utrumque frequentissime initium sententiae vindicatur: vid. Itin. 6. 18. 24. 46. 49. 58. 64. 69. 75. 101. 108. Iul. Val. I, 1. 3. 7. 9. 11. 13. 16. 17. 37. 40. 48. 50. 52. 60. 61. 64. 68 et cet. — Postponitur Itin. 16. 66. 73. 88. 96. Iul. Val. I, 4. 5. 7. 9. 12. 13. 14. 15. 18. 20. saepius.

Coniunctio quod plerumque cum Coniunctivo in narratione coniungitur, vel Imperfecti vel Plusquamperfecti; cf. Itin. 12: quod hi — interemissent. 60: quod — neglegunt: contra hosti — clauderet et tueretur. 72: quod — conperisset. 102: quod — intueretur. Iul. Val. I, 8. ex. (Muell.) quodque — credidisset I, 16. ex (Muell.) quod — mutuaretur. I, 3: quod — oppressisset. I, 7. ex: quod — fuisset (cf. Mai. adn. a. et Muell.). I, 9: quod — intueretur II, 13: „quod — eorum commoda consiliaque rexisset“ (in oratione obliqua scribi debebat „suae“). II, 21: quod — arguere-mini (in epistola Alex. ad Athen.). II, 26 ex. quod — arbitrarentur. II, 17: quod — arbitrarèmur (in oratione recta). III, 90: quod — sciret. III, 91. ex: quod — arbitraretur. cf. praeterea I, 21. 53. II, 9. ex. 16. 18. (Muell.) II, 38. III, 28. Nota imprimis verba arbitrandi et similia.

Cum Praesentis aut Perfecti Coniunctivo „quod“ in Itinerario nusquam reperitur, ap. Iul. Val. perpaucis locis, quorum nonnulli possunt in dubitationem vocari; cf. Iul. Val. I, 13 in (Muell.): propterea quod id . . . non provenerit (cod. Vat. secund. Mai. Class. Auct. s. h. l. exhibet provenit). III, 16 in ed. Mai: „quod id genus . . . habeatur,“ sed Muell. (III, 4): „habebatur.“ II, 8. sed quod intuear. cf. I, 42. 28. 31. III, 62.

[Indicativum eidem coniunctioni adiunctum observas Itin. 1. 25. 60. 69. [76?] Iul. Val. I, 27. 38. II. 41. II, 45. III, 44. 62. 79.]

Similis est usus particulae quoniam:

cf. Itin. [13: quoniam id esset commodius]. 72: quoniam multi — confluxissent. c. 87: quoniam — hauriantur. c. 114:

quoniam — vellet facere. [cf. c. 7. et 102.]. Iul. Val. I, 47. II, 43. 44. III, 21. 86. —

Saepius tamen Indicativus ponitur et Praesentis (Itin. 2. 6. 8. 12. 58. Iul. Val. II, 14. 21. 44. III, 5. 8. 88) et Praeteriti alicuius (Itin. 2. 15. 19. 24. Iul. Val. II, 21. 24. 38. III, 43. 81.)

Etiam coniunctioni ubi Coniunctivum nonnunquam adiiciunt velut

Itin. 21 ubi — emersissent. 49. ubi — conveniret. 90. praesertim ubi — interfecerit. 100: ubi loci conditio fefellisset. Iul. Val. I, 13 (Muell.) ubi — sublevasset. I, 14 (Muell.) ubi — advenerit (codd. Vat. advenit) I, 46. ubi — sit persuasa (in orat. recta). III, 28 ubi coenatum — foret. III, 75: ubi emensae sint.

Usitatior tamen est Incicativus et Praesentis (Itin. 28, 47. 59 (bis) 61. 62. 64. 86. (ubi de reditu consulunt amnemque — adfuere) bis 106. 111. 115. et Iul. Val. III, 50.

et Perfecti (Itin. 12. 19. 20. 22. 70. 80. 86. 99. 107. 109. Iul. Val. I, 5. 13. 43. 44. 67. III, 48. 52. 66. 87. 86. 90. 92.) [cf. III, 78: ubi adventabant].

Etiam coni. „quamquam" Coniunctivum secum coniunctum habet (cf. Reisig. schol. §. 304 et adn. 466):

Itin. c. 4: Quamquam — profecta sint (cod. edd. profecto; emendat. ab Haas. Misc. II, 6. p. 22). 107. quamquam irruissent. Iul. Val. I, 22 in: quamquam — melitus — foret. I, 61: quamquam — sequerentur. II, 15. quamquam — profitendum sit (cod. Ambr. et quam).

Ut particularum ita pronominum usus in Itin. et Iul. Valerio fere idem est.

quisque pro quisquis vel quicunque saepius admittitur ex usu fere obsoleto, qui inde a Plauto propagatus ad posteriores est (cf. Auson. VII. Sap. sent. in Pittaco 5. Sidon. ep. 4. 11. in carm. fin. cf. praeterea Cort. ad Sall. Cat. 5, 3. Ruhnk. ad Ter. Hec. I, 1. 8. Dederich. ad Dict. Cret. II, 14 et ib. in Gloss. ad II, 14):

Itin. 21: quisque evaserat prior. 49: quisque secum alphita — gestitaret. ibid.: quisque faverant Persis. 107: quisque evaserat. 111: quisque mediocritatis est agnitor. 114: quisque id vellet. Iul. Val. I, 8 (Muell.) quisque nascetur I, 13 (Muell.) quisque — succubuerit. I, 22: omnes, quique — coluissent. cf. II, 2. 17. 15. (Muell.) 41. 76. 96.

Apud utrumque usurpatur pronomen personale „sui" pro possessivo; cf. Reisig. §. 363. et adn. 540:

Itin. 17 sub sui nomine. 25: ad sui meritum. cf. 28. 32. 33. 35. 67. 75. 94. Iul. Val. I, 31. 34. (in carm.) 39. 47. 57. 66. III, 6. 19. 81. [cf. III, 62: a caede tui].

Simillimus utriusque est usus pronominis reflexivi in his exemplis (cf. Reisig. adn. 383—388):

Itin. 27: Arsames . . in se — paratus ferebatur i. e. in Alexandrum. c. 33: accedente ad commodum sui, quod hosti . . . peribat" (de oppositis talibus cf. Reisig. adn. 384. p. 383). 67: Ubi tamen sibi (i. e. Alexandro) ingenium loci . . . obsistit. 94: His amicis in sua (i. e. Hermolai) iniuria fervescentibus [cf. Itin. 65 regis voluptatibus etsi iam suis . .]. Iul. Val. I., 45: cum unus proditionem quoque sibi regis Darii subsereret, prohibitus ab eodem est (ita cod: sibi . sed Mai: „ille", Muell: „illi"; male.) I., 59: cum multi . . . parique sese stilo opera sua (i. e. Alexandri) prosecuturos esse promitterent (Mai. et Muell. contra cod. scrib.: eius.) II., 34: regem suum in sua regia solitarium opprimunt (cf. supra Itin. 65 et Reisig. adn. 384 p. 383.) III., 19: Enim vero addit (sc. Alexander), quid imperium sibi (i. e. gymnosophistis) videretur (cod. sibi, tamen edd.: illis). III., 44: pergit ire . . . ad Semiramidos regiam, quod illo se . . . fama ducebat (cf. Reisig. adn. 386 p. 386) cf. III., 60: At cum sibi tanta . . . servirent (ita cod. et Muell. — Sed Mai: Indis). — Praeterea cf. I., 5: poculum quod sibi prae manu erat. et II., 25: „Adventanti igitur Alexandro ad urbem suam obiecta sunt claustra portarum, classemque omnis et militibus instruxere." Sed hoc loco scribendum videtur „obectarunt", cf. Ps. Call.: *ἀπέκλεισαν τὰς πύλας καὶ τὰς ναῦς ἐπλήρωσαν.* vid. Muell. (II., 6) p. 61.

Verborum quoque multae sunt apud utrumque similitudines:

Perfecti III. pers. Plur. forma semper desinit in -ere ap. Itin. Auctorem, semel tantum (c. 85) in -erunt. Ap. Iul. Val. quoque illa forma longe usitatissima est, quum altera in -erunt rarissime admittatur, nunquam, ut videtur, pro Perfecto historico, sed semper pro Praesent. Perfecto; cf. Reisig. schol. adn. 269 p. 224. Exempla exstant undecim, quorum quatuor sunt in oratione: Iul. Val. II., 10 moverunt; II., 15: „restiterunt, incenderunt, consumpserunt". Quinque in epistolis: II., 33: noverunt; III., 74: diviserunt; III., 79: tremuerunt; III., 82: redemerunt: III., 85: contenderunt. Praeterea cf. I., 13: ubi-potuerunt, scandit. et I., 64: Hic cum Thebas Alexander transcendisset, peteretque Thebanos . . . Thebani portas post haec praecepta clauserunt . . . arma sumpsere, et . . . paravere. (Ps. Call. I., 46: *ἀπέκλεισαν οἱ Θηβαῖοι τὰς πύλας — καθώπλιζον στράτευμα*). cf. locum quem paulo ante restitui: II., 25, qui quidem non minus quam ille (I., 64) aliquid offensionis habet. De Itin. c. 85 vid. infra.

Frequens est usus apud utrumque verbi forem, es, et . . . pro „essem", es, et. sqq. (cf. Reisig. § 296. p. 514 et adn. 445):

Itin. 17: idque laboris fore ingentis indicium . . . 32: hic sane operae pretium foret . . . 44: „si ipsus Alexander foret", et „si Parmenion foret" [cf. 76: verum quidquid — foret.] Iul. Val. I., 15 (Muell.): Quod — terribilis foret. I., 22: Quamquam — rex metitus locorum amplitudinem foret. I., 26: — ductae — forent.

l., 27: perventum foret. l., 60: relictum foret. cf. 68 (ter ita). ll., 4, 13, 20, 14 (Muell. bis) 43. lll., 5, 15, 28, 39, 60, 67, 85, 88. : cf. l., 12 : foret futurus.

Verbum „irruere“ ubique fere cum Accusativo casu concungitur:

Itin. 16: cum — Gothos irruisset. 59: Scythas dextrum cornu suum irruere velle. 94: conclave inruerent (ita sine dubio scribend. pro „conclavi“, quod cod. habet. cf. Mai. adn. ad h. l. p. 70). 100: irruunt securos. 106: irruunt Graecos. [cf. 47: Gazam irruit.] Iul. Val. l., 4: irruens triclinium. l., 10: theatrum irruit. l., 11: irruens regiam. lll., 52: irruunt nocte barbaricam civitatem (Ps. Iall. *εἰσβάλλουσιν εἰς τὴν πόλιν*) ibid: irruunt aedes tyranni.

Quibus apte subnectuntur haec exempla similium verborum, quibus motus aliquis significatur:

scandere c. Acc.: Itin. 28: pontem-scandit. 22: scandensque littus obviam. 66: celsiora montium scandit. Iul. Val. l., 13: scandit statuae suggestum. l., 29: templum Herois scandere. l., 60: scandit templum.

pergere c. Acc. Itin. 66: Uxios pergit. Iul. Val. l., 42: Syriam pergens.

appellere c. Acc. Itin. 50: donicum locum sacri appulit ire. 55: iam Pigreta (i. e. Tigreta) amnem appulisse [cf. 31: Mallon urbem appulerat.] Iul. Val. l., 17: cum Africam — appulisset. l., 51: Persas appellere.

advolare c. Acc. Itin. 69: Mediam advolat. Iul. Val. lll., 34: ignes — advolabant. Conferas praeterea Itin. 71: Mardos excurrit. 72: Parthos Arionosque (i. e. Parthyaeos Ariosque, vid. supra not. 30) proficiscitur. 17: Hellespontum proficiscitur. 32: Issum denique uterque concurrunt. 50: Hammonis sacrum contendit. 68: Mediam dirigit. ibid: id omne iam Pylas caspias relegarat. 72: urbem Artacoenta (i. e. Artacoana) venit. 74: Caucasum tendit. 106: Munitos accedere (cf. Drak. Liv. 9, 40, 19.) 107: petram munitissimam confluunt. 109: Indum cum exercitu venit. 113: Oceanum venit. 115: quam (sc. civitatem) multi confugerant. [cf. 45: ire Aegyptum destinat.] — et Iul. Val. l., 4: repatriat Macedoniam. l., 16: Italiam transiens (i. e. in Italiam.) ll., 3: id cum altius animum Stasagorae descendisset. ll., 31: incidens aquae illius vehementiam vel rigorem. lll., 82: multa praerupta eiusmodi incidimus loca. ll., 16: (Muell.) intercurrere exercitus (cf. Amm. Marc. 15, 10, 10.) [ll. 35: regiam irrumpit. lll., 33: cum — fluenta irrupisset.] lll., 35: quum oppidum quoddam advenissemus. lll., 40: ferrum id loci invehi (cod. id loco).

Eundi verbum in Infinitivo positum saepe cum alio eiusdem notionis verbo finito consociatur:

Itin. 50: appulit ire. 79: ire contendit. 104: petere contendit. 106: ire festinat. 45: ire festinat[70]). Iul. Val. l., 48. lll., 42 et 89: ire contendit. ll., 28 et lll., 26: ire tendit. l., 36: obviam pergere festinabant. lll., 69: ad Amazonas ire festinat.

Laudandi verbum cum Genitivo coniunctum est Itin. 81: iustitiae laudati et Iul. Val. l., 18 (Muell.) laudatumque studii filium. ll., 9: (Muell.) laudatum fidei ac fortitudinis.

Puniendi verba item Genitivum secum habent. cf.:

Itin. 92: puniri abiurationis. 93: immodestae fortitudinis verberatur. 78: increpitum perfidiae servilis. Iul. Val. ll., 7: qui vos — ulcisci vecordiae potuisset.

Singula verba alibi raro usurpata Itin. Auctor et Iul. Valerius frequentant, velut:

obviare i. e. obstare, resistere: Itin. 39, 62, 63, 67, 85. Iul. Val. l., 38, 40, 48, 49, 52. ll., 9, 10. — Idem valet quod obviam ire ap. Iul. Val. lll., 6, 56, 69.

militare sicut graecum *στρατεύειν* sive *στρατεύεσθαι ἐπί* vel *εἰς τινα* adhibetur Itin. 6 per Hispanias militaturo. 16: per que Euxinum militans. Iul. Val. ll., 7: ad evertendas Athenas m. ll., 9: in illa — milia m. lll., 7: in vos. lll., 46: in Aegyptum. lll., 70: in nos.

subiugare Itin. 74, 103. Iul. Val. l., 11 (Muell.) l., 15 (Muell.) 39. lll., 37.

oppetere absolute dictum est Itin. 98. et Iul. Val. l., 55, 62.

praeoptare Itin. 96. Iul. Val. ll., 14, 12.

vacuare Itin. 85. Iul. Val. lll., 90.

audere verbi movendi vice fungitur Itin. 14: quo audendum. 75: in Caucasum. 80: ulterius. Iul. Val. lll., 46: si quis huc audeat. lll., 70: in quaeque dubia ausuros.

consulendi usus similis satis est in talibus: Itin. 67 difficultati. 64: refectioni. Iul. Val. l., 53: properantiae. ll., 15 (Muell.): reditui. ibid: fugae. lll., 32: receptui. lll., 35: reditui.

Insolentissime ab utroque dictum est „poculum stringere“ pro „poculum exhaurire“ Itin. 30. 118 et Iul. Val. ll., 15 (Muell.)

Aliis omissis proferam nonnulla Substantiva ab Itin. Auctore et Iul. Valerio recepta ex usu deteriore, velut

affectus (Plur.) i. e. cognati: Itin. 35, 57, 101. [cf. Itin. 39: affectiones.] Iul. Val. ll., 9 (Muell.) ll., 19 (Muell.) lll., 51.

satellitium Itin. 72. Iul. Val. l., 10.

parilitas Itin. 3 et 8. Iul. Val. ll., 16 (Muell.)

incentivum Itin. c. 3 (vid. Haas. Miscell. ll., 6. p. 21.) Iul. Val. l., 13, 41. lll., 7. ll., 9 (Muell.)

proceritudo Itin. 112 [et 120]. Iul. Val. lll., 57.

[70]) In editionibus est „ire destinat“ quod erat corrigendum.

machinamentum Itin. 42, 47. Iul. Val. I., 1 (Muell.)

index i. e. indicium Itin. 97: laboris atque sudoris index. Iul. Val. III., 8 temeritatis index.

gloriae (Plur.) Itin. 8. Iul. Val. II., 14.

bellum pro „proelium" Itin. 62, 63, 64, 111, 118. [cf. cap. 63 „bellare" pro „pugnare", sicut ap. Iul. Val. III., 11, 13 saepius.] Iul. Val. I., 3. II., 15. III., 10.

finis est feminini generis Itin. 103 et Iul. Val. III., 42. cf. praeterea Itin. 52 „noctis e medio" et „in noctis medium" cum Iul. Val. III., 51: noctis obscuro.

congrex Itin. 19 et Iul. Val. I, 34 (in carmine).

Neutrum pronominis demonstrativi „id" cum Genitivo Substantivorum coniunctum saepe ponitur:

Itin. 91 id paenitudinis. 58: id — peditum cf. 2 vid. p. 112 in. Iul. Val. I., 20: id loci. I., 26: id portenti. II., 22: id animi. II., 17 (Muell.) id consilii. II., 44: id voti. III., 49: id horae. III., 87: id monstri.

Adverbium „transitorie" Itin. 26. respondet adiectivo transitorius ap. Iul. Val. III, 26, quod Muell. praetulit Maii scripturae „transcursorius," nescio an cod. Paris. auctoritate permotus. —

Denique habent Itin. Auct. et Iul. Val. nunnulla „ἅπαξ εἰρημένα," quae dicuntur, communia, velut

perviare Itin. 104 et. 78, ubi cod. exhibet „perinans," quod Letronnius recte correxit in „pervians." Iul. Val. II, 15 (Muell.). cf. Adiectivum „perviabilis" ap. Iul. Val. II, 16 (Muell.).

tuberascens Itin. 14. extuberascens Iul. Val. I, 29.

Unimammae Amazones vocantur Itin. 96 et Iul. Val. III, 82. fortasse ex Plauti imitatione (cf. Plaut. Curc. 3, 75). Iam a Titano Amazonas „Unimammas dictas esse testantur Serv. ad Aen. XI, 621 et Isidor. orig. IX, 2, 64. cf. Haas. ad Greg. Turon. de curs. stell. p. 37. Multimammia vero appellatio Dianae apud Ephesios cultae est ap. Hieron. prooem. ep. Paul. ad Ephes. cf. Minuc. Felic. Oct. 21. Vid. Funcc. de veget. l. l. sen p. 1161.

Graeciae, Plural. Itin. 96. Iul. Val. III, 5.

dinoscibilis legitur Itin. 50, dinoscentia vero ap. Iul. Val. I, 21. et II, 13 (Muell.); dinoscere Iul. Val. I, 30.

coniectator Itin. 49 et Iul. Val. I, 57.

gradibilis Itin. 75 et Iul. Val. II, 14 (Muell.) secund. cod. Vatic. Muell. vero scrib. gradabilis.

Fortasse etiam viabundus, quod est ap. Iul. Val. III, 54 (cod. quidem uthabundus), in Itin. 57 restituendum est pro „visabundus; cf. infra.

Haec sufficient ad concentum quendam inter Itin. Auctorem et Iulium Valerium in scribendo comprobandum. Quinimo sufficerent

paene, si quis eundem esse, qui Itinerarium latine scripsit et qui Pseudo-Callisthenem in linguam latinam transtulit, demonstrare vellet, modo aliquot historicis ut ita dicam argumentis praeterea instructus esset. Quae quidem quoniam nunc nos plane deficiunt, nisi nimis audacter agere velimus, id tantummodo obtinere licebit: eadem fere aetate illos floruisse, siquidem ex latinitate aliquid recte colligitur. Indicia sane exstant nonnulla, quae illam priorem de Itin. Auctore et Iulio Valerio sententiam confirmare videri possint (vid. Ang. Mai, praef. ad Itin. XVIII. sq.); sed revera nullius momenti esse bene exposuisse Maius mihi videtur. Ceteroquin quod Carolus Cangius gloss. med. et inf. graec. ἐβέλλινος dicit: Aesopus eiusdem Callisthenis interpres, qui et versionem suam Constantio Constantini M. dicavit sqq., id procul dubio depromsit ex cod. Parisiensi 8155 a Car. Muell. Ps. Call. introd. p. VIII. not. 9. memorato, cui titulus est hic: „Callisthenes de origine, vita et rebus gestis Alexandri M., latina, ut puto, redditus ab Aesopo, qui versionem suam Constantino[71]) Constantini M. filio dedicavit." Error enim de Aesopo idem est, sicut verba fere eadem. Iulium Valerium autem translationem suam Constantio dedicasse, nusquam praeter hunc locum traditur, neque dubium est, quin ita sit ortum illud mendum, ut Maius l. l. explicavit. Quare nisi firmiora documenta afferri potuerint, illud in medio relinquendum erit, praesertim quum in ipsa latinitate, licet apud utrumque insignem similitudinem prodat, tamen insint quae differant. Quum enim de Itinerarii Auctore fere dici possit, quod Salmasius de Ammiano Marcellino praef. de Hellenist. p. 39 dixit: „Quis phrases unquam usurpavit duriores, inconcinniores ac rusticiores? ut homo graecus et militaris, qui voces tantum latinas teneret, quomodo collocandae essent nesciret, prorsus loquitur," Iulii Valerii oratio quamvis et ipsa saepe eandem ob causam vituperanda, tamen pressior est et rotundior „atque rhetoricum quiddam spirat in iis maxime conspicuum quae circa epistolas sunt et orationes," ut recte iudicavit Muell. introd. p. XXVI. cf. Mai. Iul. Val. praef. cap. II. p. 92. Praeterea singula quoque verba et structurae Itinerarii aliena sunt ab Iulio Valerio et Iulii Valerii ab Itinerario. Multa porro sunt „ἅπαξ λεγόμενα" alteri solum, non utrique usurpata. cf. indices a Maio compos.). Neque in verbis pluribus coniungendis inter se et construendis semper eadem ratio conspicua est. Exempli gratia in Itinerario c. 35. 59. 63. dicitur „in terga vertere" vel convertere pro „fugere," apud Iul. Val. non item. Deinde Accusativus graecus, quem dicunt, non tam Iulio Valerio quam Itin. Auctori usitatus est, inprimis in verbis vulnerandi (cf. 47: humerum. 80: crus. 83: caput. 105; humerum), neque tali insolentia Ablativi absoluti ap.

[71]) Ita ap. Muell. Sed in cod. videtur esse „Constantio", id quod ex Cangii verbis apparet.

Iul. Val. adhibentur, quali in Itinerario (cf. 85. 105. 107.) Iam vero particula autem, quae in Itin. ne semel quidem occurrit, admodum saepe ap. Iul. Val. posita reperitur (vid. I, 3. 13. 19. 22. 27. 29. 53. 55. II, 11. 22. III, 33, 86. 93. 94. 95, 96. 97. 98.), quamquam suspiceris eam immerito etiam his locis illatam, quam supra p. 36. paene totiens a Maio falso collocatam animadvertimus, quotiens particula tamen occurrebat. Tum pronomen quicunque, semper ab Itin. Auctore fastiditum, in usu est ap. Iul. Val. cf. I, 15 (Muell.). I, 2. 9. 34. 67. II, 19. II, 15 (Muell.). 16. 17. 18 (Muell.). II, 39. III, 37, 69, 70, 71. 72. 77. 88. [in Itin. c. 30. ex. cf. utcunque], et si quae id genus alia sunt.

Qua de causa cavendum est ne ulterius coniectando progrediamur, quam per ipsa argumenta, quae nobis praesto sunt, permissum est. Hoc vero sine dubitatione tenuerim, quod Itin. Auctorem et Iulium Valerium eadem fere aetate scripsisse contendi. Itin. Auctorem autem dico, qui Itinerarium latine scripsit quale nunc habemus. Iam quum Itinerarium Imperatori Constantio dedicatum esse constet, sequi videtur ut Iulius Valerius circa eiusdem Imperatoris tempora vixerit, uti Maio et Weismanno videbatur. At quominus in hac sententia acquiescamus, obstant haud levia argumenta in ipso utriusque scribendi genere posita, quibus quamquam dubitationes de Iulii Valerii aetate, iam paene sublatae, renovantur et augentur, tamen id effici videtur, ut aliquid novi de Itinerario assequamur, quod ad veram eius originem cognoscendam proxime nos adducat. Cuiusnam igitur generis sint illa argumenta iam videamus.

II.

Quarto Christiani aevi saeculo ne latinitatem vel Itinerarii vel Iulii Valerii tribuamus impedimento est, quod usus singulorum verborum, imprimis particularum saepe talis est, qui ab illo tempore plane abhorreat deterioremque nescio quam aetatem vehementer resipiat, velut usus particulae enim, cuius exempla supra p. 37. sq. posui collecta. Collocatur quidem ea partic. etiam apud Plautum, Terentium, Lucretium ab initio sententiae (cf. lex. Forcell), sed ita tantummodo, ut vim suam explicandi retineat, nunquam, ut novas illas significationes particul. vero et sed sibi vindicet. Eae quo tempore fuerint natae, non habeo quod dicam, sed videntur non ita longe abesse a Gregor. Turonensis aetate, qui similiter partic. nam usurpavit (cf. Haas. Greg. T. ed. de curs. stell. p. 32) scilicet pro vero, cuius usus nonnulla exempla exstant in „Orestis tragoedia“ (v. 938. 380. 435. 510.), de qua nuper V. Ill. Haasius luculentissime disseruit Miscell. lib. III., cap. 8. cf. ibid. p. 36. Unde vero alteram consuetudinem enim pro sed ponendi quodammodo confirmem, non est exemplum in promptu talibus simile, qualia sunt:

Itin. 65: incolae cultu nil tristi, enim laeticiae simulamento. et Iul. Val. I, 37: „non seniorem enim iuniorem;“ alia cf. p. 37. Mihi quidem tam insignes significationum mutationes quarto saeculo inferiori tempori tribuendae videntur.

Idem cadit in particulam enimvero ea, qua hic, vi vix unquam apud veteres usurpatum; vid. supra p. 38 sq. cf. Hand. Tursell. II, p. 404 sqq. Reisig. schol. § 260. — Quid quod particula vel copulandi causa ut et apud vetustiores perraro aut nunquam adhibetur (cf. lex. Forc.), saepius vero apud sequioris aetatis scriptores: Sidon. ep. 4, 20. Gregor. Turon. de curs. stell. 37. 60. 64. hist. Franc. V. 34. p. 242 A de glor. mart. I, 17, saepius, vid. Haas. ed. Greg. Tur. p. 49, et qui ibi citatur C. Barth. ad Paulinum Petrocor. p. 19. 56. 179. et al. Etiam in „Orestis tragoedia“ exempla exstant, vers. 38. 271. 361. sqq. vid. Haas. Miscell. phil. lib. III. p. 36 et Funcc. de inert. ac decrep. sen. t. I. p. 725.

Deinde particula tamen apud veteres minus narrationi continuandae inservit, quam adversando vel restringendo, quum in Itiner. et Jul. Val. saepissime illam graecae partic. δέ vim accipiat. vid. supra p. 36.

Neque praepositiones novae illae una cum Ablat. et merito cum Genitivo coniunctae (cf. p. 35 et 36) saeculo quarto iam in usu fuisse videntur, sed posteriore demum tempore usurpatae fuerint, quamquam nulla exempla mihi ad manum sunt, quibus id probem. Una fere respondet v. simul, quae praepositionis instar est iam apud Horat. Sat. 1, 10, 84, Tacit. Ann. 4, 55; 3, 64; 6, 9, alios (cf. lex. Forcell.) merito autem similiter posita atque vetustior illa gratia.

Peculiaris est etiam usus praepositionis in cum Ablativis nominum numeralium compositae (cf. infra et supra p. 35), cuius exempla similia ex quarti saeculi et prioris temporis scriptoribus aegre afferas. Nam quod est ap. Liv. I, 43, 5 (cf. Hand. Turs. III, p. 343): „tertiae classis in quinquaginta millium censum esse voluit,“ id satis ab illis differre ipse vides.

Posterioris aetatis documentum etiam est quod particula pro Acc. et Inf. posita, non quidem in Itinerario, sed saepius ap. Jul. Valerium; cf. II, 34: satis adserentibus internuntiis, quod si Darius fugiens portas Caspias intravisset, inefficacem illam insecutionem Alexander laboraret. III, 1: duces eius conloquia conferebant, quod sibi satis esse deberet usque ad Persas proeliis laborasse. III, 41: perterritus tandem eiusmodi esse responsum arboris fert: quod enim ... urguerentur: eamque mortem — fore. III, 81: fama de Hercule sic loquente, quod hasce metas ... fixerit Deus ille. cf. I, 4 (Muell.): „Recordor, inquit, oraculi illius, quod — acceperam, quod oporteret me reginae vera praedicere.“ — ibid.: „nam multa fama est quod . . . velit in alteram transmigrare (Ps. Call.

„ἐφημίζετο γὰρ . . . ὅτι . . , ταύτην ἀποβάλλεται.). II, 12 (Muell.). „Fama est te coacto exercitu ad proelium tendere, profecto nescientem quod — Alexander — contempserit. I, 39 (Mai.): oraculi cuiusdam memores, quo docerentur, quod, si rex — transivisset, fortuna lapsum tunc oppido minaretur.

Idem particulae quod usus observatus etiam est in „Orestis tragoedia“ ab Haas. Miscell. lib. III, p. 36. Cf. praeterea Reisig. schol. § 331 et adn. 506.

Inusitata deinde est structura verbi „irruere“ cum nudo Accusativo coniuncti nulla praepositione apposita, (vid. supra p. 42), sicut verborum pergere (Itin. 66. Uxios pergit. Iul. Val. I, 42. Syriam pergens), confluere (Itin. 115 quam sc. civitatem multi confugerant), venire (Itin. 109 et 113. cf. Virg. Aen. 2, 742) excurrere (Itin. 71; Mardos excurrit; Arr. III, 24, 1: προῆγεν ὡς ἐπὶ Μάρδους). quae omnia poetice tanquam dicta cadentis et infimae latinitatis mihi esse videntur. Neque melioris notae est verbum obviare imprimis usitatum Macrob. Somn. Scip. 1, 6 et 12. Sax. 7, 5. Oros. 4, 23 extr. Hieronym. ep. VI. Claudian. Mamert. 1, 22. cf. Veg. Mil. 3, 4. cod. Theodos. 12, 1, 161. Vid. Cellar. de barbarism. p. 164. et Funcc. de veg. lat. ling. sen. p. 1213. Omni vero etiam posteriorum scriptorum auctoritate carere videtur verbum militare sic usurpatum ut Itin. c. 6. per Hispanias m., 16 per Euxinum militans, (cf. supr. p. 43). Nec est cur frequentissimum usum pronominis quisque pro quicunque positi (cf. supra p. 40) in extrema latinitatis tempora non reiiciamus, tametsi dudum apud Plautum necnon Livium eadem significatione adhibitum est. In usum enim revocatur ab Ausonio, Sidonio aliis; cf. Dederich. Gloss. Dict. Cret. II, 14. et Funcc. de inert. ac decr. sen. l. l. p. 707. Idem quadrat in verbum repedare (cf. supra p. 34.) obsoletum illud diutissimeque repudiatum, quod frequentationi redditur a Iuvenco (de evang. hist. Luc. 1. 2., Matth. c. 26.) Ammiano (17, 4 et 24, 17). Impp. Honor. et Theodos. leg. XI. Cod. de Cohortal. cf. Cellar. de barb. p. 168. Funcc. de veg. l. l. sen. p. 1156. Omnino enim decrepitae latinitatis scriptores plerique affectabant locutiones priscas et oblivione obrutas, sive poetarum antiquorum, Naevii, Plauti, Ennii, Lucilii, Lucretii, ceterorum amantes, sive in rhetorum scholis ad eorum libros lectitandos et imitandos instituti. Quatenus vero id fecerint, cernitur in „Incerti auctoris versuum de figuris“ libello, de quo vid. V. Ill. Haasii commentationem in „Allgemeine Litteratur-Zeitung 1844, Nr. 218, et elucet etiam ex multis Itinerarii et Iulii Valerii archaismis, quorum plurimi etiam aliis posteriorum saeculorum scriptoribus sunt proprii, velut

Itin. 77. utrimquesecus ap. Lucret., Caton., Appul., Solin. 91: poenitudo, vox Pacuvii (ap. Non. 2, 646 et 769) leg. etiam ap. Auson. Sidon. Hieronym. — 94: „neque id quitum“ ap. Terent.

(Hec. 4, 1, 57) et Appul. Apol. 113: succenturiare ap. Plaut., Gellium, alios. 118: convivare ap. Ennium, Sueton. al. — Eiusdem generis sunt c. 35 epula (Sing. cf. Mai. adn.) 54: interturbare. 82: inconciliare. 84. utibilis. 92: palpum vel palpus 115 et 116: retrudere.

Ap. Iul. Valer. cf. I, 4 (Muell.). 68. II, 24: „clueo,“ (de quo verbo vid. Cellar. d. barb. p. 245 et Voss. de vit. serm. p. 665). I, 8 (Muell.) caesariatus. I, 10 et 14 (Muell.) usurpare auribus, oculis. I. 10 (Muell.) I, 45. III, 30: dapsilis. I, 11 (Muell.) circumcursare. I, 11 (Muell.) infit. I. 12 (Muell.) partitudo. I. 17 (Muell.) morigerus. I, 4. 45. 51: participare aliquem aliqua re. I, 6, III, 89: complusculi. I, 8: clam habere. ibid. precator. I, 12: illorsum. I, 27 et III, 83: opificina. I, 33: negitare. I, 34 et II, 13 (Muell.) multigenus et perpes. I, 35. III, 86: expergitus. I, 39. 60: obfirmare. I, 48: lusitare. I, 58: sanguen. I, 62: diffiare. I, 63 et III, 41: interminari. I, 67: infortunium. II, 3 pausa. II, 21: hosticus. II, 23. 28. sublimare. (cf. Cellar. d. barb. p. 169. sq. ubi praeter Ennium et Caton. citantur Appulei., Solin., Lactant., Mamertin., Ammian., Macrob., Prudent., Cassiodor. al.). II, 30 et III, 34: valentia. II, 10 (Muell.) vaniloquentia. II, 13 (Muell.): pecua. II, 15 (Muell.) filum oris. II, 16 (Muell.) proeliare. ibid.: properiter. II, 17 (Muell.) favitor. II, 9 (Muell.). 19 (Muell.) III, 9: clam est c. Accus. III, 20; mentiri alicui. III, 30. 41: abitio. III, 31. 86: demutare. III, 33: saevitudo. III, 40: aditio. III, 41: edissertare. III, 50: quaeritare. III, 53: redhibere. III, 82: opiparus.

Accedunt multae insolentiores voces et verborum constructiones, velut

Itin. c. 26: captivare i. e. captivum facere, verbum prolapsae ling. lat. senectutis, ap. Augustin. de Civ. Dei 1, 1: captivandi cupiditas frangebatur; cf. ibid, 1, 7: captivandus et id. in Psalm. 63 et Epist. 199. et ap. Alcim. Avit. ad soror. v. 503: captivat lumina somnus. — Iornand. Succ. Regn. c. 59: Hierosolymam captivavit. cf. Vulgat. Rom. VII, 23. Hieron. Epist. ad Eustoch. vid. Cellar. d. barb. p. 220. Voss. d. vit. serm. p. 662. Borrich-Cogitat d. var. l. l. act. p. 26. Funcc. de lect. Auct. clars. p, 145 et de veg. l. l. sen. p. 1219.

ibid. (Itin. c. 26): transitorie i. e. in transitu. cf. Hieron. adv. Helv. n. 13. Id. ep. 51. n. 2. August. serm. 102. Boeth. Cons. phil. 5. pros. 6. „Vita transitoria“ ap. Cassiodor.

ibid. „invitamque obsequiis Sagalassum.“ Sive est Dativus, sive Ablativus illud „obsequiis,“ alienus est casus a vulgari vocis „invitus“ usu. cf. Ulpian. Dig. 16, 3. 11, ubi Gentivus ad eandem vocem appositus est. Ceterum coniicias scriptum fuisse „obsequi,“ non „obsequiis,“ quamquam simile exemplum deest. Infinitivus enim et loco bene convenit, et Itinerarii Auctori saepius

I, 32: praedestinare cf. Cellar. d. barb. p. 205.

I, 48: continentia i. e. complexus rerum. ap. Macrob. Somn. Sc. 2, 12. Fulgent. inscripsit illo nomine librum quendam. cf. praeterea Hieronym. in Ioann. Hieros. n. 7.

I, 53: conspicabilis. Prudent. π. στεφ. 10, 131. Sidon. ep. 8, 4. Sulpic. Sever. in Vit. S. Mart. 21.

I, 65: discursim. cf. Macrob. Sat. 7, 1. (al. leg. discursum).

II, 16: dirigere pro mittere ap. Aur. Vict. Epit. 34. Claud. ep. ad Alybr. 1. Sidon. ep. 7, 9. Cassiod, Var. 8. ep. 12. cf. Funcc. de inert. ac decrep. sen. l. l. p. 712.

II, 9 (Muell.) dedecorosus ap. Aur. Vict. Epit. 39, Hieron. 16, 58, 10.

II. 10 (Muell.) clemens c. Dat. ap. Claudian. B. Gild. 511.

II, 26 victoriosissimus ap. Sidon. ep. 5, 6.

II, 37 baiulus pro vespillo ap. Sidon. ep. 3, 12. Amm. 14, 7. August. ep. ad Hieron. 19, 2. cf. Fulgent. de prisc. serm. n. 2.

III, 31 qua insuperavi (fortasse scribendum: qua insuperatus fui) cf. Maximian. Gall. I, 33.

III, 32. 58. nimietas cf, Voss. d. vit. Serm. p. 518. Cellar. d. Barb. p. 119. Borrich. p. 176. Funcc. d. veg. l. l. sen. p. 1199.

III, 54: saporus, a, um, i. e. sapidus ap. Prud. Cath. 4, 94. et Lactant. 3, 16.

III, 68: praescientia post Tertull. etiam Augustin. l. D. 5, 9, et Capell. I, 12. usurpat. —

III, 72: provectio cf, Lactant. 5, 11, 8.

III, 85: mensuratio, derivatum a verbo mensurare quod est ipsum deterioris aetatis, habes etiam ap. Auct. d. limit. p. 264 ed. Goes. cf. lex. Forc. Cellar. d. barb. p. 230. Funcc. d. veg. l. l. sen. p. 1220.

Ut in Itinerario ita apud Iul. Val. quoque multae sunt voces novae et inusitatae, quas idem Maius in indicem collatas libello adiecit. Earum num omnes sint incorruptae nunc non quaeram, potius addam plures, quae e supplementis codicis Reg. Paris. a Muell. excussi nobis redundant:

I, 1. (M.) incantamen (i. e. incantamentum). I, 12 (M.): crepor (i. e. crepitus). 13. editatio (Ps. Call: ὁ τοκετός). ibid.: industriari; equisius (i. e. equiso). 14. [et III, 42]: revectare. 15: inustio (Ps. Call. ἔγκαυμα; iterum occurrit III, 59). I, 16 legitur ap. Muell.: „De futuris enim instabilibus et incertis fixam dicere sponsionem, errantis est, benignitatis et fabilis („favoris?“ Muell.) cum crastino ratum pignus nullus facile possederit.“ Male interpunxit Muell. post „errantis est,“ quum substantivum „benignitatis“ referendum sit ad „errantis;“ quod deinde „favoris“ coniecit pro „debilis,“ minime est aptum; facilior emendatio est „debilis,“ si

quid omnino mutare licet. Nam „fabilis“ videri potest idem esse, atque Francogallorum v. „faible,“ Anglorum „feeble,“ quamquam ego tale vocabuli monstrum hic admittere dubito, quod certe infimae aetatis fetus fuerit. — I, 16: dilargitor (cf. lex. Forc. s. v. dilargitio). I, 17: aurigabundus. II, 12: excitamentum. II, 13 et 15: auctiusculus, a, um. 13: praeimpeditus. 14: viabilis. [15: „prosultans.“ ibid. „impropriter.“ Videtur utrumque corruptum esse.] 15: compactu. perviare . adnatatus, us. 16. perviabilis . ciulabundus. 18. inscalptio . suppliciali-servitio . sumptuati viatico (i. e. donati). III, 14. procliatio. III, 53 (Mai.) aurigans (i. e. auro collucens).

Nova vero vis hisce verbis inditur:

I, 19: commilitium refecit (i. e. exercitum). I, 31: se-scire rennuebant (i. e. negabant, nisi pro „scire“ scribend. est „dicere“). I, 41. ex. vicos-confrequentat (i. e. incolis frequentat, auget). I, 63: antistare (i. e. antistitem esse). II, 9: inclyti semper et inopinabiles. II, 10 (Muell.) pertaesus (passive, i. e. odiosus). II, 18 (Muell,) saxi-evidentia (i. e. pelluciditas), II, 19 (Muell.): miseratio (i. e. calamitas). II, 44: versus fortunae. (i. e. conversio, mutatio). III, 16 incursari (Depon. cf. Itin. 116: coniectari). III, 25: si exploratio secundasset (i. e. bene cessisset). [III, 30: aquatio i. e. puteus. Ps. Call. ὕδρευμα. cf. tamen Col. 7, 5]. III, 33: cum — exanimasset (Forcell. „nisi forte scribendum „exanimatus esset„). III, 36: purgare (sensu neutro cf. Mai. ind. p. 293). III, 55: supervehi magnitudinem. III, 77: iter in Pras. pervertit (i. e. „convertit,“ quod nescio an sit restituendum).

A vulgari verborum usu recedit Iul. Val. etiam in his:

l., 4 (Muell.) ad torum debeor (i. e. matrimonio destinata sum). l., 5 (Muell.) quibus sc. herbis in succum pressis (i. e. ex iis succo expresso). l., 10 (Muell.) sulco linguae vibrato. l., 11 (Muell.) post ambitum mundani laboris (i. e. mundano labore confecto.) l., 14: metuo c. Acc. et infin. ibid: Macedoniae (i. e. in Macedonia) ibid: Comitare una mecum (i. e. veni mecum. cf. lex. Forc. ubi citatur inscript. ap. Reines. inferioris aevi cum eadem verbi „comitari“ constr.) l., 17 (Muell.): truculentum officium edendis hominibus. l., 18 (Muell.): veniam e (cod. Tur. a) paternis auribus impetrare. l., 1 (Mai.): de quibus tibi ad votum proclivitas fiat (i. e. quibus ex voto utaris). l., 3: infert se voto. l., 7: ne moveare super hisce (i. e. propter haec). l., 10: ut ad sese transnuberet. l., 14: adstipulari c. Accus. rei. l., 26: turbulentius formidans. l., 31: proceritudo erectissima. l., 53: promptius conspicabilis. l., 64: armatos e muris insistere. ll., 8: nisi mavultis mage. ll., 17: gentem — superduxisse captivitatibus (Ps. Call.: τὴν Περσίδα αἰχμαλώτων Ἑλλήνων ἐπλήρωσε). ll., 16 (Muell.) cum ad glaciem convenisset Strangae mobilitas (videtur tamen scribendum „concrevisset“ cf. Ovid. Met. 9, 220. Cic. N. D. 2, 10. Virg.

Aen. 12, 905. id. Georg. 3, 360. Plin. H. n. 36, 22, 45). III., 10: bestias per se ire dimittunt. III., 15: fidem rati dat. III., 16: diversoriis quae humi exhauriunt (i. e. quae humum exhaurientes aedificant.) III., 42: vox sic appulit. III., 79: dominari cum Genit. (cf. Reisig. p. 729 et Zumpt. § 413.) III., 89: venenum laborat curiosum efficaxque.

Ista omnia a quarto p. Chr. n. saeculo aliena esse mihi videntur, quod ante quamvis multi exstiterint scriptores impuro et sordido sermone usi, tamen vix unquam tot et tanta novicia, quam Itin. Auctor et Iulius Valerius, in linguam lat. induxerunt. Quamobrem equidem dubitaverim, num Itinerarium tale ab initio fuerit, quale nunc est, latine scilicet scriptum, sed pronus sum in opinionem, graeca fuisse lingua compositum. Scatet enim praeterea multis quos vocamus graecismis, quorum quidem non pauci ex ipsis Arriani verbis explicari possunt, velut nomina propria Graecorum in modum declinata:

c. 17: Orpheos (Arr. I., 11, 2.) 18: Seston (Arr. I., 11, 4.) 28: Tarson (Arr. II., 4, 6.) 31: Mallon (Arr. II., 5, 9.) 38: Euphraten (Arr. II., 13, 6.) 43: Parmeniona (Arr. II., 25, 2.)

et voces graecae ex Arriano integrae receptae:

c. 48: agonas (Arr. III., 1, 4: *ἀγῶνα*.) 49: alphita (Arr. III., 2, 1.) 51: pelagus harenarum (Arr. III., 3, 4: *ἐν πελάγει τῇ ψάμμῳ*.) 62: phalanga (Arr. III., 14, 1.) 67: Pylas (Arr. III., 18, 2.) ibid.: thesauris (Arr. III., 18, 10.) 68: Pylas caspias (Arr. III., 19, 1: *τὰς Κασπίας καλουμένας πύλας*.) 107 et 108: petra (Arr. IV., 28, 1 et 3) tum vox „civitas" pro graeca v. *πόλις*: 72: Susiam civitatem (Arr. III., 25, 1.) 82: Cyri civitas (Arr. IV., 2, 2 *Κυρούπολιν*.) 108: civitates (Arr. IV., 28, 6 *πολίσματα*.)

denique praepositio „in" cum Ablat. coni. pro graeca *ἐς* cum Accus. cap. 56: in XL. milibus (Arr. III., 8, 6 *ἐς τετρακισμυρίους*.) 80: in triginta milibus (Arr. III., 30, 10: *ἐς τρισμυρίους*.)

aut pro *ἐν* cum Dat. 57: in Gausamelis (Arr. III., 8, 7: *ἐν Γαυσαμήλοις*.)

sed nonnulli indidem non duxerunt originem:

c. 33: cuius DC milia bellatorum in parte vigesima numerabantur. 64: quae prior civitas (i. e. urbs.) 69: thesauris. 77: constringi in vinculis crebrioribus (cf. Xenoph. An. 4, 3, 8: *ἐν πέδαις δεδέσθαι*. Hom. Il. 5, 386: *ἐν δεσμῷ δῆσαι*. Il. 18, 553: *ἐν ἐλεδάνοισι δέεσθαι*, Aristoph. Equ. 393, 702: *ἐν ξύλῳ δήσας*. al. vid. Matth. gr. gr. § 396, adn. 2, p. 892.) 81: iustitiae laudati (i. e. *εὐδαιμονίζειν* c. Gen. cf. Reisig. schol. adn. 537.) 92: puniri abiurationis (cf. Krueg. gr. gr. 47, 7, 6. Matth. gr. gr. § 368 et 369.) 93: utque immodestae fortitudinis — verberatur (cf. ibid. similiter Appul. Apol. insimulationis falsae plectitur.) 101: quomodo si repperisset (i. e. *ὡσεί*. cf. Rutil. Lup. I., 9:

quaeritis maximis sumptibus faciendis, quomodo ne tributa conferatis? i. e. *ὡς μή*. vid. Reisig. schol. p. 585.) Fortasse huc etiam referendum est c. 111: procurare quod erat rex (i. e. id cuius erat rex. cf. Krueg. gr. gr. 47, 20, 1. Matth. 5, 360, 6, p. 840). Neque in Accusativis graecis, q. v., Arrianum imitatus est ille, qui latine Itin. scripsit, sed, ut videtur, eum qui Itinerarium graece composuit. cf. c. 47: catapulta humerum vulneratur (Arr. III., 27, 2: *ἐς τὸν ὦμον*. cf. Zumpt. gr. l. § 458.) 80: Alexandro crus sagitta transiecto (Arr. III., 30, 11: *ἐς τὴν κνήμην τοξεύεται*.) 105: humerum superscribitur (Arr. IV., 23, 3: *ἐς τὸν ὦμον τιτρώσκεται*.) Hoc ipsum verbum „superscribitur" ex graeco illo exemplari videtur profluxisse, ubi fuerit „*ἐπιγράφεται*" i. e. obiter vulneratur. cf. Hom. Il. 4, 139: *οἱ δ' ἐπέγραψε χρόα φωτός*. cf. ibid. 13, 553. II., 388. Od. 22, 280: *ὦμον ἐπέγραψεν*. Neque scio an a graecis ducenda sit „mittendi" verbi cum Infinitivo coniunctio, velut c. 78: „Ptolemaeum vero Lagi praeire susceptum Besum ad seque perducere antemittit" et 107: „ducem mittit Bazi[pha]ra obsidere". (cf. Matth. gr. gr. § 532. c. p. 1234), quamquam apud Plautum, Terentium, Propertium, Ovidium, alios poetas (cf. lex. Forc.) itidem adhibetur. Dubitari vero potest num huc pertineant locutiones „ire festinat, ire appulit" (cf. Matth. gr. gr. § 535. c. not. I.), et fervens irruere, constans excipere c. 14 (cf. Krueg. gr. gr. 55, 3), quum non tantum ab usu quotidiano recessisse videantur, quantum illae quas attuli (cf. ire contendit ap. Caes. b. g. I., 10. Sall. H. 4 ap. Non. 4, 68. al.)

Sed haec sufficient exempla ad sententiam meam aliqua ex parte confirmandam: graecum videri primo fuisse Itinerarium et deinceps in latinam linguam translatum. Neque tamen, si verum inveni, fieri posse crediderim, ut apertis documentis rem ita se habere demonstretur, quum quis translationem latinam fecerit, et quo tempore fecerit, adhuc dici nequeat. Ne coniectura quidem de aetate aliquid assequi poteris; „desunt enim, ut ait V. Ill. Haasius Misc. Phil. lib. III. p. 29 adhuc in omnibus illorum seculorum litteris certiora indicia, quibus aetates discernantur". Itaque ego hanc quaestionem in medio relinquo, idque tantum modo monuerim denuo, et Itinerarium et Iulii Valerii librum esse exaratum in codice vetustissimo, qui a Muratorio et Maio, huius rei peritissimis iudicibus, saeculi noni esse censetur, eamque ob causam cavendum, ne quis illud aevo posteriori quam par est adscribat. Nam si quid ex monstrosis quum aliorum verborum tum imprimis nominum propriorum depravationibus [72]) coniicere licet, non ita paulo ante illud tempus identidem libellum exscriptum fuisse consentaneum est.

[72]) Admirabilis est forma Genitivi: „Xersii" bis posita cap. 67 et „Artaxersii" (cod. Artaxersi) cap. 72. Praeterea cf. Xazacerta pro *Ζαδράκαρτα*, Onomarchum et Neona pro Nearchum et Onesicritum, multaque alia, quae supra p. 9 sqq. notavi.

III.

Adiicio nonnullas in Itinerarium emendationes iis quoque receptis, quae ex Muratorii fragmento redundant. Ceterum conferas Letronn. in „Iournal des Savants“ 1818, p. 401 sqq. et Haasii Misc. lib. II. cap. 6.

Statim Itin. c. 2 corrupta in cod. et edd. sunt haec:

„ego tamen audacter innumeris subeo“. Reiecta Maii coniectura „id humeris“, quae Muellero placuit, ego scribo „id muneris“. cf. c. 58 id peditum. 91: id paenitudinis. vid. supra p. 44.

cap. 12 ap. Maium legitur: „Iove Hammone tali de sobole, et heraclide Philippo competente“. Post v. „sobole“ cum Muellero interpunctionem deleas, proque partic. et, quae est etiam ap. Muell., restituas atque; cod. enim habet ant de. Sane rara est part. „atque“, sed ante vocalem vel h litteram ponitur c. 9 et c. 32 Ante conson. vero forma est ac c. 43, 70, 68, 69, 85.

Mendosissimum locum cap. 21, qui in cod. sic se habet: „Ubi ordo quippe tot alvei milibus obtentus armatis incerta sub soli validi divinae fortuna vix tamen profundo sese vultu liberi idexterisque emersissent. . . .“ Maius ita sanare conatus est, ut v. „tot“ post v. „alvei“ transferret, deinde scriberet „incerta soli validitas divina f,“, tum „dexterisque“, denique ut post v. „vultu“ partic. „modo“ inferciret. Atque haec ultima mutatio iam a Muellero reprehensa est, qui sic textum constituit: „. . . tot alvei milibus obtentus armatis, incerta sub soli validitate, divina fortuna . . .“, in adnot. autem adscripsit: „vultu“ fortasse erat vortice, aut latet suffultu corporum vel tale quid“. Muratorius vero, omissis intricatioribus, haec verba sola exscripsit „Iamque alveus tot millibus obtentus armatis incerta fortuna omnium animos detinebat“. Mihi nihil esse mutandum videtur nisi vox „divinae“, quae non intelligo quid hoc loco sibi velit; neque emendatio „divina“ ad sententiam integrandam idonea est, quum substantivum „fortuna“ suum adiectivum iam habeat, dico v. „incerta“. Desideratur potius Ablativus cum praepositione „sub“ coniungendus, qui vix dubito quin delituerit in v. „divinae“. Qualis vero fuisse videatur, ex Arriani verbis discimus (I., 14, 4): „καὶ γὰρ ὑπερδέξια ἦν τὰ ὑπὲρ τὴν ὄχθην χωρία“, et Plutarchi Al. c. 16: „τοῦ δὲ ποταμοῦ τὸ βάθος καὶ τὴν ἀνωμαλίαν καὶ τραχύτητα τῶν πέραν ὄχθων“ . . ., quibus ductus scripserim „ripa“ [sive „ripis“] pro „divinae“; resecta enim huius vocis prima syllaba di, quae per errorem ex antecedenti voce „validi“ iterata esse videtur, superest „vinae“ satis prope accedens ad v. ripa, qua aegre caremus. Interpretor autem locum ita, ut „ordinem“ dicam esse exercitum Macedonum, et „alvei milia armata“ Persarum; nam Arrianus scribit: „ἐτάχθησαν δὲ (sc. Persae) τὴν μὲν ἵππον παρατείναντες τῷ ποταμῷ κατὰ τὴν ὄχθην“ sqq.; „soli validi ripae“ vero sunt „τραχεῖς ὄχθαι et

ὑπερδέξιαι“. Denique vv. „ubi ordo“ spectant ad verbum „emersissent“; (cf. supra p. 40 de coni. „ubi“). Notiones enim quas dicimus collectivas saepe in Itin. cum Plurali numero coniunguntur. cf. c. 56: pars aut caeduntur aut fugantur. 64: agmen vero . . . quam queant ocius refectioni consulere iubet secundis intentos. c. 56 iterum: „Erantque eis numerus . . . cf. c. 86: hostis gnarus . . . conficiunt. c. 106: pars muro clauduntur.

Paulo post in eodem cap. legitur: „tela imminentium fundere,“ depravato haud dubie verbo fundere, quod etiam Murator. exhibet, Maius vero (vid. adn.) aut in „retundere“ commutari vult, aut ita servari, ut pro „imminentium“ ponatur „in imminentes“. Mihi convenientius videtur „defendere.“

cap. 25. in verbis: „Quod is Alexander . . . suspectaret: et est creditu facile,“ delendam censeo partic. et, ortam quippe ex postrema vocis antecedentis syllaba. Scribo igitur sic: „Quod is Alexander . . . suspectaret, est creditu facile, quod conscientia opinatur ad sui meritum.“

cap. 28. Pro „lactaret“ corrige „iactaret“ ex Muratorii emendatione.

cap. 32 ex: Pro „utrubi“ scribi debebat utrubique“ i. e, apud Macedones et Persas, sicut paulo ante scriptum est „utrimque.“

Initium capitis 33 vitiis ita inquinatum et obscuratum est, ut verba fere omni careant sententia. Nam quae post coniunctionem „quamvis“ efflagitatur sententia secundaria, plane deest, neque ullum exstat indicium, ubi sit deperdita. Quare illam ipsam coniunctionem cum verbo suo depravatam esse haud videtur vero dissimile ac si paulo audacius agere liceat, ego sic locum restitui posse dixerim, ut pro „Quamvis“ scribamus „Jovis,“ pro „uteretur“ autem „utendum retur“. Jovis nomen ad Hammonis additum est etiam c. 12, quamquam abest c. 50, et collocatio verborum, quae nascitur, Auctori est usitata: cf. c. 36: Insequenti. Alexander die. 87: Quibus Alexander nuntiatis 101: his victor copiis. De altera vero mutatione cf. Curt. IV, 10. med.: „Rex impetu animorum utendum ratus.“ et Iul. Val. 1, 46: ut retur. Ceterum huic truncationi ute pro utendum compara c. 9, inde pro indidem; cf. Haas. Misc. Phil. II, p. 22. vid. etiam inf. p. 62.

cap. 34. „Quaesitumque ab eo et quid causae esset,“ Scr.: „ecquid causae.“ cf. Iul. Val. II, 14 (Muell.): „nihilominus ecquis foret quaeritant.“ II. 15 (Muell.) ecquid, inquit, hoc est ... Liv. 42, 26, 5: „quaesitum ecquid ita non adissent magistratum.“ Frequens autem est litterarum c et t confusio; cf. c. 47: „tuniculis“ pro „cuniculis“, quod Muell. correxit. 83: cod. „eos etius“ pro „eo secius“ in editionibus correctum; 112: „veccium“ pro „vectium“ (cf. Mai.). Etiam ap. Iul. Val. III, 50 scribendum videtur „ecquid“ pro „et quid“ in his: „summa exspectatione pendebant, et quid

novi consilii regi sedisset.“ Ita edd. cf. praeterea Iul. Val. I, 67. III, 40. 42. 51. 88. 70. 20.

cap. 35: „Affectibus quoque in tentoriis regiis hosti relictis: dolori dedecorique quae spolia“ et quae seqq. Ita Maius et Mueller, quorum ille vocem „quae“ inseruisse videtur, qua ego remota sententias sic inter se distinxerim: „Affectibus quoque in tentoriis hosti relictis dolori dedecorique, (spolia tam foeda quam bello non necessaria), matre ...“ Quae uncis inclusi tanquam exclamatio a ceteris segreganda videntur.

Deinde sub fin. eiusd. cap. contra codicis auctoritatem Maius et Muell. scripserunt: „Alexander tandem“ ..., ubi codicis scriptura tamen retinenda. cf. supra p. 36.

cap. 44. Sententiae „se quoque si Parmenion foret oblaturum“ non solum superflua est, verum etiam inepta vox „oblaturum,“ ideoque abiicienda. cf. Arr. II, 25, 2. Diod. XVII, 54. med. Curt. IV, 11. med. Plut. Al. 29 ex.

cap. 45. in edd. legitur: „ambitu maxima.“ Quum posterioris vocis in codice tantum prima syllaba superesse videatur, Arrianum (II, 26, 1: *Μεγάλη δὲ πόλις*) sequens non maxima sed magna scribo. Antecedunt praeterea „valida muris, difficilis accessu.“

cap. 48 ex. Quam Maius exhibet sententiam „Divum aevo re proxima mortalibus insciens“ sqq. Haasius ex cod. ita emendavit, ut scriberet „Divum aevo rem proximam mortalibus“ ... nihil moratus „insciens“ illud, quod Maius pro sciens accipit.“ Hoc „insciens“ ego quoque corruptum puto neque dubito quin emendandum sit in „sentiens,“ cuius littera s in initio vocis facile potuit interire post v. mortalibus. Sentiendi autem verbum similiter usurpatum est Itin. 47: spem vaticinii — ratam sentit. cf. Iul. Val. I, 50: Nihil igitur superesse, quam uti probra fuisse huiusmodi duces Persarum regno sentiret.“

cap. 52. „Salem quoque offendunt“ sqq. Pro „offendunt“ Haasius ponit „effundunt“. Malim equidem „effodiunt,“ si locum ex Arriani verbis emendare licet, quae II, 4, 3 sunt: *Γίγνονται δὲ καὶ ἅλες αὐτόματοι ἐν τῷ χωρίῳ τούτῳ ὀρυκτοί.*

cap. 56. „Erantque eis numerus in XL. equitum milibus munitissimus.“ Suspicor primo fuisse scriptum „munitissimis,“ quod spectet ad milibus, sicut supra c. 21 habemus „tot alvei milibus obtentus armatis.“

cap. 57. Si Arriani verba presse sequeris, quae Auctorem exscripsisse manifestum est, corriges „castra conlocant“ ita: „c. conlocat.“ Sunt enim Arriani III, 8, 7 verba haec: *Ξὺν ταύτῃ τῇ δυνάμει ἐστρατοπεδεύκει Δαρεῖος ἐν Γαυγαμήλοις πρὸς ποταμῷ Βουμώδῳ* sqq.

De v. iuxta (cod. iunctum) cf. supra p. 36.

Verba „id loci nomen est“ nescio an ex glossemate in textum irrepserint. Deinde perperam coniungere mihi editores videntur adv. „commodum“ cum verbo „dixisse,“ referendum enim est ad verbum antecedens „refugerat.“

Sequuntur in cod. haec verba multifariam vitiata: „dixisse (sc. eunuchum) quo castitatis honore utque regie sui haberetur nullius absque eius grae ereumpetisse divinitus ...“ Maius, quem Muellerus sequitur, satis inconsiderate eiecit verba „nullius absque eius grae“ scripsitque non minus audacter: „tunc illum petisse“, pro ereumpetisse. Revocanda igitur primum sunt illa „nullius absque eius grae“ sed vitiis purgata. Atque in „grae“ latere „gratiae“ nemo non videt; Genitivus vero „gratiae“ quum ab hoc loco alienus sit, ponendus est Ablativus „gratia.“ Scilicet littera e ex sequenti voce etiam priori adhaesit. Deinde pro „nullius“ scribe „nulla,“ quod si cui displiceat, scribat „nullis,“ quamquam facere non poterit, quin alteri voci „gratia“ vim afferat in „gratiis“ immutans. Quamobrem illud equidem praetulerim. Iam vero quid voce „ereumpetisse“ sit faciendum apparet; corrigendum enim: „et eum petisse,“ nisi mavis „Dareum,“ sive „Darium“. Tum pro „haberetur,“ quod praecedit, cum Muellero restituas „haberentur.“ Denique dubitari potest, sitne retinendum illud „nulla absque eius gratia“ an mutandum: nulla absque regis gratia. Alii vero hoc de loco diiudicent, quum liber ms. denuo excussus erit. Interim ista proposita sunto, quibus haec fere sententia efficitur:

„Illic fertur orso Dario — visum eunuchum, qui una affectibus captus refugerat commodum, dixisse quo castitatis honore utque regie sui haberentur, nulla absque eius (aut regis i. e. Alexandri,) gratia: et eum (i. e. Darium) petisse“ ... cf. Plut. Al. 21: *Ἡ δὲ καλλίστη καὶ βασιλικωτάτη χάρις ἦν παρ' αὐτοῦ γυναιξὶ* sqq. (cf. Arr. IV, 20, 1—3. Iustin. XI, 12, 6).

Superest in eodem cap. v. „visabundus,“ sine dubio corrigenda „viabundus,“ quod adiectivum exstat ap. Iul. Val. III, 54, versum e graeco Ps. Call.: *ὁδεύων.*“ Neque enim, si adiectivum quod desinat in „bundus“ a verbo „visere“ derivare velis, dicere poteris „visabundus,“ sed debes „visibundus.“ At huius vocis significatio (cf. Reisig. schol. p. 168) abhorret a sententia Itinerarii, in qua est posita, neque ab Itinerarii Auctore et Iulio Valerio talia adiectiva sunt ficta, nisi a verbis primae coniugationis. cf. Itin. 21: adminiculabundus. Iul. Val. II, 46 (Muell.) eiulabundus. II, 31: natabundus. II, 35: amplexabundus. III, 54: errabundus. cf, I, 2: nixabundus (vid. ed. Muell. I, 18).

cap. 59. „suis post fugientibus qui sibi imminebat.“ Quod Maius posuit sibi pro codicis quis, num rectum sit, tu videas; ego de v. post dubito an mutanda sit in „hostem.“ Nam ita demum pronomen „qui“ habet quo referatur.

Foedissimis naevis etiam cap. 61 commaculatum est, ut vix quid auctor dicere voluerit erui possit. Neque enim intelligitur quid v. „spiramento“ hic valeat, idemne significet quod morae an

aliud quid (cf. Amm. Marc. 29, 1. med.: Sumtumque est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium), nec quo Genitivus „curulium falcium“ referendum sit, nec quem in modum accipienda sint verba „discedentibus his qui imminebant Scythae“ (ita enim cod. Mai. vero „Scythis“); non dicam de leviore illo errore „cursus“ pro „currus“ (cf. c, 60: inmitti curros iubentur. et Iul. Val. I, 52 incurrentibus curribus). Quibus difficultatibus obstrictus id modo pronuntiare ausim, explendam esse lacunam, quae est post v. „Scythae“ non voce „Macedones,“ quam Maius intrusit, sed aliqua notione, quae Genitivum „curulium falcium“ excipiat, absque participio „praedocti“ pendeat; emendandumque „pones,“ in „Paeones“ quae gens anteced. cap. constanter nomine „Pannonii“ appellatur.

Deinde Maius edidit: „sensim in latera demissi.“ Pro „demissi“ in cod. est „deniseti“, quod arbitror depravatum ex v. „densati.“ cf. Curt. V, 3 extr, densata agmina. Liv. 38, 2: densatis scutis. Lucan. IV. 780: Densatur globus militum. Liv. 23, 8: densari ordines iussit.

cap. 61. Stribliginem, quae est in vv.: „quod nobilius decebat,“ corrigas scribendo „ducebat“ cf. c. 15; pudibile ducebat.

cap. 64. Pro „secundis intentos“ scribo „secundis contentos“ [cf. c. 75: carne contentis]. De v. intentus vid. infra p. 62.

cap. 72. ex. Maius edidit: „elati mentis iactantia.“ cod. exhibet: „electi mente iactantiae,“ quod Muell. retinuit. Ego malim scribere „illecti“ cf. Iul. Val. III, 19; qui solus tot animantium milia illexisset. III, 41: cuius inlectu (cod. iniecto).

cap. 73. „Inque id destinanti.“ Vides scribendum esse „festinanti“ cf. Arr. III, 25, 5: *Ἰόντι δὲ Ἀλεξάνδρῳ . . .* c. 98: Maracunda ipse festinat. vid. praeterea p. 43. et not. 70. E contrario „festinat“ corruptum est ex „destinat“ ap. Iul. Val. III, 10: calefieri eas et igniri festinat. Ps. Call. enim: „*τούτους ἐκέλευσε πυρωθῆναι ἐπιμελῶς.*

ibid. scribo: „una paucis consciis meriti fugit“ pro „u. p. conscius . . .“ cf. Arr. III. 25, 7: *ξὺν ὀλίγοις ἱππεῦσι . . . ἔφυγε . . . Ἀλέξανδρος δὲ ὁσους ξυναιτίους τῆς ἀποστάσεως κατέμαθε.*

cap. 75. „intersitumque parvis arboribus.“ Quum in cod. sit „paris,“ malim „raris.“ cf. Arr. III, 28, 5: *ψιλὸν δὲ τὸ πολὺ...*

cap. 77. Vocem „pragmenta,“ quae nihili est, correctam habes ap. Forcell. in lex. s. v. „tabulo,“ ubi „pagmenta“ substituitur, quod usurpatum est a Vitruv. 4, 6, 7.

cap. 78. „Nec mora,“ vinctus offertur, unaque flamma irae eius extincta.“ Haec in editionibus sane vitiosiora sunt, quam in codice, qui verba sic exhibet: „vinctus offerunt una ceu flammo irae eius extincta.“ Cum Maio fortasse scribendum „vinctus offertur,“ nisi magis placet „vinctum offerunt.“ Cetera vero sic: „una

ceu flamma ira eius exstincta.“ Unde „irae“ ortum sit non indiget explicatione.

cap. 80. Quod in edd. legitur: ad montium celsiora concrepant“ quid sit inscius sum. In cod. sane est „concrepunt,“ nec satis liquet, unde talis stribligo sit nata, quaque ratione probabiliter abstergenda. Aptissimum certe est verbum „concurrunt,“ quamquam a codicis vestigio paulo longius recedit. cf. Arr. III, 30, 10: *οἱ δὲ δράσαντες τὸ ἔργον ἀπέφυγον ἐς ὄρος . . .*

cap. 85. „Verum imminentibus Scythis superbe, is (saepe conatum cum sacrificia cohiberent, idque creberrime) vincit“ . . . Ita edd., cod. vero habet „hisaepe“ pro „is saepe.“ Quare coniicio „hos aeque,“ sententia tota sic constituta: Verum imminentibus Scythis superbe, hos aeque (conatum cum sacrificia cohiberent idque creberrime) vincit.“ Ita qui ex Maii coniectura natus erat pleonasmus (saepe et creberrime) sublatus est. Ceterum ad „aeque“ animo supple „ac septem oppida.“ „Aeque“ autem iterum occurrit c. 111. De Ablativorum vero absolutorum usu cf. c. 105: Tum reperta hostium multitudine, trifariam superat. . . 107: Sed his loco . . . fidentibus, ipse utramque urbem . . . transiens capit.

ibid. extr. „victoriam retulerunt.“ Nescio an potius sit scribendum „retulerant.“ Nam praeter hunc locum semper exit Perfectum in ere. cf. supra p. 41. Insignis vero est Plusqpf. usus c. 61: „aditum quidem transituris dabant, utrinque tamen equos bigas — confixerant.

cap. 86. Perperam Maius edidit: „comminus conficiunt omnes,“ quod Mueller recepit. Codex enim habet „fugiunt,“ quod depravatum esse ex „figunt“ nemo est quin statim cernat. cf. Arr. IV. 5, 9: *οἱ Σκύθαι τε . . . . πάντες κατετόξευσαν.* cf. cap. 61; confixerant. Iul. Val. I, 52: una equis et aurigantibus fixis.

cap. 87. „subsidiis colentium nullis.“ Scribe „accolentium“ nam in cod leg. „et colentium“ cf. Iul. Val. I, 10. accolas. I, 36. III, 29.

cap. 89. Inter alia vitia etiam nomen „Arsacidum“ corruptum esse videtur ex „Persarum.“ cf. Arr. IV, 7. 4.

cap. 93. Mendosa admodum sunt in edd. haec: „Is venante Alexandro in aprum exspectabilis formae, ipse prior bestiam sternit.“ Neque enim dici potest „venari in aliquem,“ neque vox „exspectabilis“ vim habet, quam hic habere debet. Usurpata praeterea bis tantummodo est, quod sciam, Tert. adv. Marc. 3, 16: „Nomen Iesu nōn tam exspectabile apud Iudaeos,“ et Tacit. Ann. XVI, 21, ubi alii „exspectabilem,“ alii „spectabilem,“ alii „expetibilem“ legunt. Equidem hon dubito scribere „spectabilis formae.“ cf. Iul. Val. I, 13 (Muell.) opinionem non frustra sibi spectabilis ingenii confirmarat. ibid.: equum spectabilis formae. I, 30: effigies spectabili magn tudine. I, 59: comitatum spectabilis multitudinis.

Deinde codicis scripturam „venatu“ retineo addita tamen praepositione „in,“ qua carere non possumus, praesertim quum Arrian.

IV., 18, 2 dicat „ἐν θήρᾳ.“ Denique ex truncato „inte“ non puto „ipse“ esse restituendum, sed „intento,“ cuius generis truncationes iam supra observavimus cap. 9. inde pro indidem. 33. uteretur pro utendum retur. Adiectivum autem „intentus“ bene cum praepositione „in“ consociatur. cf. c. 22: etiam tunc ei in haec intento.“ Quod c. 98 scriptum est: Indos nihil sibi noxios intentus,“ id haud dubie illis exemplis adaequandum est supplenda praepos. in ante v. „Indos,“ ubi per vicinam syllabam facile poterat hauriri. Nam quamquam saepe Accusativi sine praepositione ad verba ponuntur, nunquam tamen ad adiectiva poni possunt, id quod Maius (adn. 4 ad c. 99) putavit, cf. c. 116; occupatis in regem intramuranis. — Sententia igitur tota est haec: „Is in venatu Alexandro in aprum spectabilis formae intento prior bestiam sternit.“

cap. 94. Verba: „cum Sostrato et Amynta et Antipatro Asclepiodori“ corrige sic: „cum Sosastro Amyntae et Antipatro Asclepiodori“. cf. Arr. IV., 13, 3. Sequuntur iam corruptissima haec secund. ed. Mai. „Sunt qui etiam prohibitum ire vatis [voce], ne quidquam esset in aula multis praemonitis ratae“, quae multum differunt ab iis, quae in codice leguntur: „Sunt quia iam prohibitus ire vatis ne quidquam esset in aula erat multis praemonitis rata“. Desideratur vero verbum aliquod in emendatione Maiana, quod ad relativum „qui“ spectet, ac miror, quod Maius ipse non invenit, quum manifestum sit pro „quia iam“ primo fuisse scriptum „qui aiant“. Verbum „aio“ autem non ita rarum est in Itin.; cf. c. 50, 75, 96. cf. c. 13 ubi Haasius „aiebat“ restituit pro „agebat“. Difficillima vero sunt cetera expeditu nec habeo emendationem probabilem aliquam in promptu; ex Arriani verbis (IV., 13, 5, 6) fere conicceris pro „prohibitus ire vatis“ scribi debere: „prohibitum syrae vatis“, sed quum infinitivus „ire“ non sine aliquo sententiae incommodo removeatur, hac emendatione abstineo. Est etiam in verbo „erat“ cur offendamus, sed auxilium non est praesto.

Facilior emendatio est cap. 95, ubi Maius edidit: „pignore fidei“, quum edere deberet „pignora fidei“. Deinde iniuria abiecisse mihi videtur in sequentibus „Namque ad reliqua ut alias addivites sunt“ vv.: „ut alias“. Scripsit enim „Namque ad reliqua sat divites sunt Abii . . .“ Scribendum vero videtur: „Namque ad reliqua talia sat divites sunt Abii, libertatis pariter et paupertatis“. cf. c. 47: haec talia. Iul. Val. III., 23: his talibus.

In fine capitis scribe: „cetera pro opibus hospitales et loqui blandi cum moribus“; non „blanda“. cf. c. 14: fervens irruere; constans excipere.

cap. 96. „Alexander vero his Indos praeoptans se ait redire in Graecias“. Quum codex habeat: „praeoptatumque“, corrigendum censeo „praeoptare tumque“. Iterum legitur „tumque“ c. 98. Et vero ex Arriani verbis videmus Alexandrum illud non solum sensisse sed etiam dixisse

Ut cap. 86, ita etiam cap. 100 figendi verbum revocandum est, ubi in edd. legimus „Paxillis ferreis, quibus pelles intendunt... mutuo innixi fiebant“. Sanissima enim codicis verba „paxillos ferreos“ temere mutavit Maius, intactum autem reliquit mendosum illud „fiebant“ pro „figebant“. cf. Arr. IV., 19, 1: *καὶ πασσάλους μικροὺς σιδηροῦς . . . παρασκευάσαντες, τοῦ καταπηγνύναι αὐτούς*“ . . cf. c. 112: fixu vectium.

cap. 102, „sed sexaginta ad ambiendam faciem sunt, alviabilem calli“. Ita Maius ex cod. scripsit, Mueller: ad viabilem, rectius, puto, modo una voce scribas „adviabilem“, quod adiectivum quamquam apud veteres non est usurpatum, tamen cum Itinerarii sermone convenit, cuius est viare, perviare. cf. Iul. Val. I., 38, 61: inviabilis. II., 16 (Muell.) perviabilis. II., 14 (Muell.) viabilis. Utique alienum ab hoc loco est: „alviabilis“, quod in lex. Forcell. sic explicatur: „alviabilis vel rectius alveabilis, e. adi., qui in alvei modum excavari potest“. Contra haec pugnant Arriani verba IV., 21, 2: *Ἦν δὲ τὸ μὲν ὕψος τῆς πέτρας ἐς σταδίους εἴκοσι, κύκλος δὲ ἐς ἑξήκοντα. αὐτὴ δὲ ἀποτόμως πάντοθεν, ἄνοδος δὲ ἐς αὐτὴν μία καὶ αὕτη στενή τε καὶ οὐκ εὔπορος.* Unde simul verisimile fit ad v. „calli“ adiectivum aliquod pertinuisse, quod in codicis verbis latere videtur his: „sexaginta ad ambiendam faciem sunt alviabilem“. . . . Quamobrem equidem scripserim „uno adviabilem calli“. De Ablativi forma calli cf. Reisig. schol. § 64 et adn. 80.

Tum legimus: „soli ubere et mollitudinis divitem“. Corrigo „multitudine“ cf. c. 51: „tam Deo quam copiis dives“. Uber vero est ubertas. cf. Virg. G. 2, 185: Quique frequens herbis et fertilis ubere campus. Id. A. 7, 262: „divitis uber agri“, saepius. Denique „pretio veniae“ malim quam „pretium veniae“.

cap. 103. Scribe „repedat Bactra“ pro „repedata Bactra“. A littera abundat etiam c. 107 in voce „Coenona“, pro „Coenon“. cf. Arr. IV., 27, 5. Curt. II., 10, 21. — Cum hoc loco, de quo ago, cf. Arr. IV., 22, 1: *αὐτὸς μὲν ἐς Βάκτρα ᾖει.*

cap. 104. Altius recondita est corruptela in his „eumque praemittit una suis paratam Indi transmissionem conatum. Denique datum hostium ducem viantibus intercedere capiunt“. Pro eo quod cod. praebet: „praetermittit“ recte scripsit Maius „praemittit“ nec minus recte cogitavit de „Aste“ nomine hoc loco intercepto (cf. eius adn. 4, p. 76). Has duas igitur emendationes ego in usum meum converto, qui sic scribo: „eumque praemittit una suis paratum Indi transmissionem. Conatum denique Astem hostium ducem viantibus intercedere capiunt“. De Aste cf. Arr. IV., 22, 8. Supinum vero usitatissimum est in Itin. cf. c. 80: praemissos Macedonum castra metatum; 50, 96, 98, 105. Particulam „denique“ secundo loco positam habes cap. 3, 23, 35, 81. cf. 106 et 118. Eandem particulam iniuria Maius mutavit c. 106 scribens: „converso deinde

agmine"; nam in cod. est „denique". Praeter exempla modo allata cf. c. 50, 52, 65, 70, 101, quibus locis „denique" initium sententiae occupat.

cap. 107. „Quamquam Bazipharae viri contemptu paucorum advenas irruissent".

De v. Bazipharae vid. supra not. 41. Pro „advenas" scr. „Macedonas". cf. Arr. IV., 27, 8: *καταφρονήσαντες τῶν Μακεδόνων ὡς οὐ γενομένων ἄν σφισιν ἀξιομάχων ἐπιεκθέουσιν ἐς τὸ πεδίον.* Neque poterant „advenae" appellari Macedones, quippe qui diutius Coeno duce oppidum oppugnassent. Ceterum littera m post. v. „paucorum" facile interiit.

cap. 109, „et his quae longius". . . . Scr. „hic" pro „his". cf. Arr. IV., 30, 9: *Ἐπεὶ δὲ καὶ ὕλη ἐργασίμῳ ἐνέτυχε παρὰ τὸν ποταμὸν* sqq. cf. c. 32: „Atque hic sane operae pretium foret".

cap. 113, „quod ultra gentes bello idoneas coegisset experiri". Ita edd. Sed quum in cod. sit „conperisset", praestare videtur „conpulisset". cf. Iul. Val. III., 2, ex: si solus ire conpellar. Praeterea vid. supra not. 54, p. 25.

cap. 114. Post v. „obniti" Maius supplet „negat". Ego praetulerim „nolit". Coniunctivus modus post „quamvis" exstat etiam c. 115: quamvis vidisset.

cap. 115, „ut qua quisque poterat". Scr.: „aut qua". Idem mendum correctum est ab Haasio c. 6: „peteret ut declinaret".

cap. 116 ex. Post vv.: „indiscretius dextris in aetates et sexus" intercidisse videtur participium „usi".

cap. 117, „quos fortunae gratus repensaret". Ita edd. In cod. est „gramen" pro „gratus". Quare scribo: „quo fortunae gratiam repensaret". cf. supra ad cap. 57. Vell. 2, 12: bona malis repensare. Senec. Ir. 2, 32: merita meritis repensare.

cap. 118, cum Muellero retineo codicis scripturam „continuum".

Haec hactenus de Itinerario. Nec minus in Iulii Valerii historia amplus emendandi et coniectandi campus nobis patet; atqui nemo hucusque operae pretium duxit illic commorari criticamque artem exercere, videlicet quoniam plerique adunco quasi naso tam obscurum et indignum non scriptorem sed interpretem despiciunt. Unus V. D. Geierus nonnullas edidit „Emendationes in I. Valerii Rerum gestarum Alexandri M. librum I." in „Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, 1838, No. 51" argutas illas et maximam partem ingeniosas. Quibus ut proxima scribendi occasione oblata meas addere in animo habeo, ita reliquos harum litterarum studiosos, ut idem faciant, invito.

Vita.

Carolus Theodorus Kluge, fidei evangelicae addictus, natus sum a. d. VII Id. Jul. a. h. s. XXXVI Gryphimontii oppido ad Quissum sito, Theophilo et Joanna parentibus dilectissimis. Primum litterarum in schola oppidana imbutus quum iam ad prima linguarum ceterum elementa ediscenda scholam Wiesaviensem vici vicini per nonnullos annos frequentassem, ut aliquando in seminarium Boleslaviense recipi possem, praematura morte pater mihi ereptus est puero. Qua acerba fortuna quum non solum ego de spe mea deiectus, sed mater etiam et liberi nos orbi in extremam miseriam atque egestatem adducti essemus, extitit nobis adiutor benevolentissimus, vir omni laude dignissimus, Schindler, medicus patriae urbis, qui quum tutoris officia sua sponte suscepisset, quam maxime poterat, auxilio nobis fuit. Ei ego imprimis quum alia multa beneficia tum hoc praecipue debeo, quod anno LII Vratislaviam transmigrare potui, ut inter Gymnasii Elisabetani discipulos reciperer; sed ibi vitam degere non potuissem, nisi vir mihi maximopere venerandus, V. D. Thiel, qui nunc Cervimontiano gymnasio pro rectore praeest, tunc vero inter Elisabetani praeceptores erat, eximia liberalitate atque humanitate et ipse largissime me adiuvisset et aliorum huius urbis virorum benevolentiae commendasset. Atque in illis qui me in perpetuum sibi obligarunt gratumque semper et pium erga se habebunt, est etiam V. Ill. Fickert, sub cuius auspiciis nunc quoque floret gymnasium Elisabetanum. Is enim vir, qua est benignitate egregia, non solum quamdiu eius discipulus eram, verum etiam nunc, quum ipse praeceptoris vice vicarii in Elisabetano ad tempus fungor, semper mihi fuit benevolus praeceptor et fautor. Huic igitur et Thielo et ceteris omnibus, qui mihi opitulati sunt, quo magis gaudere licet, quod nunc mihi oblata est occasio gratias meas agendi maximas, eo vehementius lugeo quod qui alter mihi quasi parens erat, V. D. Schindler, iam non est inter vivos. Semper eius memoriam grato animo colam.

Gymnasio a quarto ordine usque ad primum per quatuor annos et dimidium frequentato, maturitatis instructus testimonio Almam adii Universitatem Viadrinam, fasces V. Ill. Loewig tenente academicos, nomenque apud V. Cl. Middeldorpf ordinis theologorum tunc decanum dedi, quippe qui simul in theologicis et philologicis litteris studium collocare vellem. Proximo tamen anno totum me dedi philologiae. Auditor autem sedi per novem semestria ap. V. Ill. Braniss, Elvenich, Haase, Hahn, Middeldorpf, Raebiger, Roepell, Rossbach, Semisch, Vahlen, Westphal. Unum praeterea per annum sodalis fui ordinarius seminarii regii philologici, cuius rectores V. Cel. Haase et Rossbach multum me semper larga ingeniorum suorum messe dotavernnt. His omnibus atque Elisabetani praeceptoribus meis gratum me animum habere et semper habiturum profiteor lubentissime. Praeter ceteros vero summopere mihi colendus est V. Cl. Frid. Haasius, quem, quotiescumque adii consultorem, nunquam nisi percepto aliquo fructu tam ad vitae quam ad studiorum emendandam rationem reliqui.

Theses.

1. Incertum Auctorem, qui libellum de figuris vel schematibus conflavit, integriore, quam nos habemus, Rutilii Lupi exemplari usum esse contendo.
2. In aetate ignoti alicuius scriptoris ex eius scribendi genere indaganda non solum in universum orationis formam, verum etiam singulorum verborum usum respiciendum esse contra Weismannum (ed. carm. Lamprecht. d. Alex. M. tom. I. p. XXXV.) contendo.
3. Eurip. Suppl. 306 pro *νυνί* scribendum mihi videtur *νῦν νῦν*.
4. Jul. Val. II, 34 scribo „ac semimortuum“ pro „ac si iam mortuum“ et III, 52: „sopitis somno“ pro „septis somno“.